DE ISOCRATE RHETORE.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE AMPLISSIMI
PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA FRIDERICIANA HALENSI
CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE
IMPETRANDOS

DIE XII. MENS. AUGUSTI A. MDCCCLXI

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

PETRUS HENN

RHENANOBORUSSUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT

E. DE EINEM CAND. THEOL.
C. L. F. RICHTER CAND. PHIL.
R. PIETZSCH DR. PHILOS.

COLONIAE AGRIPPINAE

FORMIS M. DUMONT-SCHAUBERG.

I.

Disputaturo mihi de Isocrate inprimis hoc praemonendum videtur, me non in animum induxisse, generatim commentationem instituere, quae omnibus numeris absoluta, nihil ex iis, quae de hoc auctore scitu digna videantur, intactum relinquat. Primum enim talis scriptio fines praescriptos longe excessura esset, deinde intellegitur, hanc largissimam materiam bene tractari non posse nisi ab iis, qui ei egregiam antiquitatis cognitionem atque eximiam artis criticae factitandae exercitationem afferunt, quae cuncta vix inveniuntur in adulescentulo in literarum quasi limine versante, denique si in narranda Isocratis vita omnia, quae a veteribus de eo tradita sunt, conquirere atque componere vellem, sine dubio mihi ea venia petenda esset, quasi rem iam saepius ab aliis iisque doctioribus tractatam denuo repetendam curavissem. Cur igitur materiam largissimam inprimisque Isocratis vitae expositionem a proposito meo exclusam voluerim, haec fuit causa. Nunc quid mihi elegerim, quamque viam in tractatione ingressurus sim, paucis indicabo. Quemadmodum quaestionum Isocratearum eae partes, quae accurata testimoniorum veterum observatione et comparatione continentur, paucis exceptis a viris doctis ita ad finem perductae sunt, ut, quod addas, aegre reperias, ita in iis partibus, quae iudicio atque sensus sagacitate nituntur, multa adhuc inveniuntur manca, nimis breviter minimeque probabiliter expedita, velut quae de eius philosophia, politica, dicendi genere, inventis, meritis, loco quem inter ceteros rhetores obtineat, a viris doctis adhuc

disputata sunt. Tantum enim abest, ut ii qui aliquid de his partibus scripserunt, inter se conveniant, ut interdum aperte sibi obloquantur. Sed operae pretium est, nonnulla de his capitibus iudicia paullo accuratius adumbrare, ne quis falsa me protulisse iudicet. Dionysius igitur Halicarnasseus[1], vir in excutiendis atque investigandis quaestionibus de graecis rhetoribus non improbanda auctoritate, ubi de Isocratis ingenio et meritis exponit, eum summis laudibus exornat. Plane ei ita videtur, Isocrati in rebus, quae ad eloquentiam pertinent, sine dubio primum concedendum esse locum, et ita quidem, ut ceteros qui hac arte excellere studuerint, sicubi ab Isocrate de praeceptis artis rhetoricae vel ab ipso eius dicendi genere differant, lapsos esse arbitremur. Neque ea tantum, quae ipsam artem conficiant, sed etiam quomodo rempublicam regere, vitam exornare, literas colere possis, ad eius iudicium tanquam ad Lydium lapidem examinanda esse. Alio loco[2] eum inter oratores eundem gradum obtinere dicit, quem inter lyricos Sappho; sive respicias suavitatem, sive concinnitatem, ex eius iudicio nihil fere discriminis exstat, omninoque genus dicendi excoluit absolutissimum. Summam vero laudem ei tribuisse videtur, ubi dicit[3], inprimis iis, qui ad rempublicam accedere, neque aliquam partem, sed totam reipublicae administrandae cognitionem complecti velint, summopere in eius scriptis laborandum esse. Quocum si conferas, quae tanquam vituperator de eo iudicat, ea ne flocci quidem pendenda esse intelleges.

De Platone, quem hoc loco neglecta temporum serie commemorasse mihi ut ignoscatur, peto, difficilior quaestio videri potest, re non est. Quamquam enim nostro tempore de amicitia inter Platonem et Isocratem iure dubitatur, id

---

1) Dionysius Halic. iudicium de Isocrate V. pag. 543: *Καὶ ἔγωγέ φημι χρῆναι τοὺς μέλλοντας κτέ.*

2) Dionys. Halic. de admiranda vi Demosthenis, pag. 182.

3) Dionys. Halic. iudicium de Isocrate l. l.

quod probare conabor, si ad singula venero pertractanda, tamen veteres cum praeter illustrissimas in Phaedro[1] laudes nihil aliud in discrimen vocarent, sic statuisse videntur, Platonem de Isocrate bene iudicasse, quin etiam amicitia ei coniunctum fuisse. Cicero hanc fuisse re vera Platonis sententiam pluribus locis dicit. — De Aristotele uno verbo hoc addam, eum semper infestissimum se Isocratis adversarium praebuisse, unde ille versus:

Αἰσχρὸν σιωπᾶν Ἰσοκράτη δ' ἐᾶν λέγειν,

quem nunc non facile quisquam cum Leloupio[2] in Henocratem dictum esse contendet.

Cicero autem, ut ad Romanos transeam sine dubio is est, qui, Dionysium si exceperis, longe plurimum ad amplificandam et ad stabiliendam eius auctoritatem contulit. Is enim non solum Dionysii laudes auget, sed etiam Aristotelis sententiam ut iniustam immeritamque certisque argumentis carentem refutare conatur. Agmen claudunt Quintilianus multi alii, qui Ciceronis vestigia presse secuti in laudando Isocrate adeo occupati sunt, ut omnino nescire videantur, ad eius auctoritatem infringendam omnino aliquid excogitari posse.

Iam ad eorum, quos recentior tulit aetas, scriptorum sententias examinandas transeuntes, eos qui universam literarum graecarum historiam scripserunt, cum maximam partem Dionysium atque Ciceronem secuti, parum criticae artis rei nostrae adhibuerint, iusto silentio oppressos videmus. Qui autem de arte rhetorica deque rhetoribus singulari libro egerunt, ii vel tenui infirmaque aetatis suae tractatione, quominus rectum sibi iudicium formarent, impediebantur, ut Bréquignius[3] et Bellinus de Ballu[4] Francogalli, vel in rebus a proposito alienis nimis versati usque ad Isocratis aevum

---

[1]) Platonis Phaedrus extr. δοκεῖ μοι κτέ.

[2]) Leloup commentatio de Isocrate Mogunt. 1826 in prooemio.

[3]) I. G. Fendrix de Bréquigny, Vies des anciens orateurs Grecs, avec réflexions sur leur éloquence, Paris 1752, 2 tom. 8°.

[4]) Bellin de Ballu, histoire critique de l'éloquence chez les Grecs,

progressi non sunt, ut Hardio[1], qui vero iudicio et doctrina aequalibus, quos modo dixi, multo praestantior est. Ex iis qui singulari libro de Isocrate egerunt, nominandi videntur Schirachius[2] Leloupius[3] Pfundius[4]; sequuntur autem plus minusve Dionysium atque Ciceronem atque in eo conveniunt, ut Isocratem scriptorem utilissima vitae civilis prudentia abundantem, egregium philosophum, sollertia atque ingenii acumine excellentem oratorem nec non de patria optime meritum civem iudicent.

At contra statim ab huius saeculi initio, quo tanti progressus facti sunt, ad historiam, literas, antiquitates melius cognoscendas nova de Isocratis indole atque pretio sententia exorta est, quae eo magis mira esse debet, quo maior est consensus omnium, qui antea sive recentiores sive veteres iudicium de eo tulerunt. Is enim vir, qui in aliis rebus iudicandis semper tantam subtilitatem tamque incorruptum veri sensum praebuit, ut non sine summa reverentia eum nominari deceat, B. G. Niebuhrius in scholis de historia antiqua Bonnae anno h. s. XXVI. habitis[5] sententiam suam de Isocratis indole exponens, omnibus eum contumeliis exagitat, scriptorem vilissimum nullisque nec ingenii neque doctrinae praesidiis instructum nominans. Quamquam hoc non ita accipi volo, quasi cum Niebuhrio cuncta pariter reiiciendo omnem ei auctoritatem abiudicare velim, tamen hoc cogitari non potest, eum fortuito nullisque aliis causis,

---

Paris 1813. Bellini artis criticae factitandae rationem non melius me iudicare posse puto, quam afferendo loco, qui legitur II. pag. 275: C'est (Plato) un des esprits les plus faux et les plus sophistiques qu'ait produit la Grèce.

1) Hardio XII dissertationes in: Mémoires de la littérature de l'Academie des Inscriptions.

2) Schirachius, dissertatio de vita Isocratis, Halae 1765.

3) Leloup, commentatio de Isocrate, Mogunt. 1826.

4) Pfund, I. G., De Isocratis vita et scriptis, Berol. 1833. Programma gymn. Ioach.

5) Niebuhr's Vorlesungen über alte Geschichte.

quam praeiudicata aliqua opinione sic iudicasse, cum praeterea, qui recensuit Pfundii librum, Sauppius in Zimmermannii diario anno h. s. XXXV. similem sententiam proferat. Neque silentio praetermittendus videtur Spengelius, vir in his rebus non spernenda auctoritate, qui in celeberrimo de artium scriptoribus libro[1] Isocratis laudi aliquantum detrahere non dubitat. Cuius doctissimi viri observationibus, quantum in cognoscenda arte rhetorica profecerim, si tacere mallem, quam hoc loco profiteri, ingratus essem. In hac igitur tanta virorum doctorum discrepantia nostrum est, examinare, quaenam sententia probabilis sit, quae minus. Quam materiam sic pertractare mihi in animo est, ut priori capite de eius dicendi ratione, de rebus, quas in orationibus tractaverit, de eius placitis philosophicis, de eius politica, de sententiis, quas de colendis literis, de republica in meliorem statum promovenda praeceperit, quae cuncta ad inventionem pertinent, exponam. Altero capite agam de iis, quae aut nova in rhetoricam induxerit aut accepta ab aliis magis excoluerit, ut uno verbo dicam de eius elocutione. Etiamsi, quae hoc modo de Isocrate disputabo, minus fortasse viris doctis probentur, spero tamen fore ut aliquid momenti studiis nostris afferatur, quo ad prudens sincerumque de Isocrate iudicium provenire liceat, idque satis causae erit, cur mihi gratuler.

CAPUT PRIUS.

Eloquentia non ex artificio, sed artificium ex eloquentia nascitur, magnique oratores ea diligenter observando atque agendo, quae homines sua sponte eloquentes faciunt, excoluntur. Ita apud Graecos quoque multis annis ante Isocratem exstiterunt viri summa eloquentia praediti; Themistocles non solum bene agendi sed etiam bene dicendi egregiam facultatem habuisse dicitur[2]), Pericles autem tanta eloquentia

---

[1]) Leonhard Spengel, *συναγωγὴ τεχνῶν*, Stuttgardtiae 1828.

[2]) *ἱκανώτατος εἰπεῖν καὶ γνῶναι καὶ πρᾶξαι.*

fuit, ut Dea Suada eius labris insidere diceretur, et Olympius propter dicendi vim vocitaretur. Quantum autem discrimen inter horum virorum eloquentiam interfuerit, atque eam artem, quae postea ex Sicilia Athenas translata ibique exculta et ad summam perfectionem adducta est, vix dici potest. Cum enim Persici atque Peloponnesiaci belli temporibus de iis tantum rebus orationes haberentur, quae reipublicae usui videbantur, quo de conferas Thucydidem innumeris locis, ubi *περὶ τοῦ δέοντος* agit, Tisiae demum Gorgiaeque temporibus dicendi ars certis legibus circumscripta atque aliis tradita est. In hanc ipsam aetatem Isocratis vita[1] incidit, ita ut quicunque in arte oratoria docenda excellebant, eorum institutione uti posset. Pater eius Theodorus, etsi in numero *τῶν μετρίων πολιτῶν*[2] habetur, hoc nihil impedit, quominus eum nobilem atque in civitate praepollentem civem fuisse statuamus, cum filium Isocratem celeberrimis eius aetatis philosophiae et rhetoricae praeceptoribus, Tisia, Gorgia, Socrate educandum traderet. Bello Peloponnesiaco eum res a patre acceptas amisisse[3] indeque eo actum esse, ut orationes mercede scriberet, multi tradunt, idque re vera ita esse, orationes forenses, quas adhuc manibus terimus, luce clarius ostendunt. Ipse quidem hoc negare[4] videtur et Aphareus in ea, quam contra Megaclidem conscripsit, oratione, nullam ab eo orationem iudicialem com-

---

[1]) Quae apud alios scriptores magna saepe difficultate premitur, quaestionem dico de tempore natali, hic paucis verbis absolvi potest. Cum enim terminus, ultra quem vita paucos tantum dies progressa est, summo consensu ita constituatur, ut nuntio de clade Chaeronensi accepto sponte eum mortem sibi conscivisse dicant, cum plerique eum 98 annos vixisse referent, inde magna cum probabilitate eum anno 436 natum esse efficitur.

[2]) Plutarchus vita Isocratis in exordio; de vi vocabuli *μέτριος* cfrs. Boeckhium ad Platonis legg. pag. 189, Stallbaumium ad Philebium pag. 90 §. 61; qui quidem conveniunt, *μέτριος* significare bonum civem inprimis talem, qui legibus libenter obtemperat.

[3]) de Permut. §. 161.

[4]) de Permut. §. 3.

positam esse contendit; sed huic argumento iam eam ob causam nihil fidei tribuendum est, quod Cephisodorus celeberrimus eius discipulus, in oratione contra Aristotelem, eum iudicialibus orationibus operam dedisse concedit.

Paullo diutius in hoc uno consistam, cum etiam de ea quaestione viri docti non consentiant, utrum Isocrates orationes iudiciales ab aliis in iudicio habendas scripserit, an specimina tantum, quibus iuvenes edocerentur. Argumenta autem omni ex parte perscrutatus non possum idem iudicium facere, quod Westermannus in historia graecae eloquentiae pag. 82. 2 et Benselerus in libro de hiatu apud oratores graecos pag. 55 sq., qui Isocratis orationes iudiciales non in usum fori sed scholae esse conscriptas contendunt; labefactatur enim haec sententia multis modis. Primum Benselerus (Westermannum silentio praetermitto, cum nulla suae sententiae argumenta addiderit) duas orationes, quas re vera in usum fori conscriptas esse ipse concedere coactus est, Trapeziticam et in Euthynum orationem, Isocrati abiudicat, quamquam ab omnibus cum veteribus tum recentioribus sub eius nomine feruntur, nullam aliam ob causam, quam quod Isocrates tam foedos hiatus, quales in iis inveniantur, scribere non potuisset, quippe qui eos non solum in aliis orationibus, sed etiam in epistolis cautissime evitare consuevisset. Ad ceteras autem orationes iudiciales quod attinet, eas scholae esse scriptas inde demonstrare conatur, quod Isocratis indoles, minime litibus et contentionibes forensibus idonea fuerit, id quod ex ipsius verbis pluribus locis cognosci possit. Isocrati autem ipsi hoc[1] de se praedicanti, se semper dicere instituisse, non de privatis negotiis, sed de talibus et tantis, quae nemo facile tractare posset, nisi qui ipsius institutione usus esset, nihil fidei habendum est, cum valde probabile sit, eum ubi tam insignem gloriam adeptus est, vilis mercede scribendarum orationum negotii, cui iuvenis operam dedisset, puduisse. Deinde vero expendas

---

[1]) de Permut. §. 3.

velim mihi hunc locum Plutarchi „διαμαρτάνων δὲ τῆς προαιρέσεως τούτων μὲν ἀπέστη, σχολῆς δὲ ἡγεῖτο“, unde sole clarius elucet, Isocratem tum demum, cum spes de suscipiendo bello eum fefellisset, scholae condendae consilium cepisse; de schola autem iam eo tempore, cui adscribendae sunt orationes iudiciales, condita nusquam, ni fallor, aliquid audimus. Quid igitur, num iure putare possumus, eum iam tunc orationes ad edocendos iuvenes conscripsisse, ubi ei scholam rhetoricam condere nondum in mentem venerat? Minime. Praeterea autem meam sententiam maxime adiuvat, quod Isocratem in bello Peloponnesiaco res a patre acceptas amisisse aliunde notum est. Fortuito nullamque aliam ob causam, quam ad delectationem animi atque scribendi exercitationem eum hoc potissimum genus sibi sumsisse, cogitari nequit. Id autem argumentum, Isocratem omnino Euthynum atque Trapeziticum scribere non potuisse, quippe qui consuevisset in aliis orationibus etiamque in epistolis eos fugere, vix opus est refutare; quasi inter ea scripta, quae tanto temporis intervallo distant, ad elegantiam quod attinet, nihil discriminis intercederet, cum praesertim Isocratem circa annum 395 Gorgiae institutione usum esse, omnes forenses orationes ante hunc annum, epistolas autem multo posteriore tempore conscriptas esse sciamas. Neque hoc parvi existimo, quod Aristoteles[1] dicit, eum forensibus orationibus saepe ipsum in iudicium vocatum esse, quia quasi committeret contra legem, eamque ob causam desiisse orationes aliis scribere, cum hoc modo id argumentum, quod Benselerus ex indole scriptoris litibus et contentionibus minime idonea, repetit, mirum quantum ad nostram sententiam comprobandam afferat. Dionysius Halicarnasseus cum Cephisodoro consentit, Isocratem nonnullas orationes iudiciales scripsisse statuens[2].

---

[1]) Cicero Brut. 12, 48.

[2]) Dion. Hal. V. πιστεύω γεγράφθαι λόγους τινὰς ὑπὸ τοῦ ἀνδρὸς εἰς δικαστήρια, οὐ μέντοι πολλούς.

Ad hanc vitae rationem mutandam maximi fuisse momenti patet Gorgiae auctoritatem, qui oratione *ἀπὸ τοῦ νεὼ βαλβῖδος* habita, qua Graecos ad componendas lites et ad suscipiendum contra Persas bellum cohortatus, Isocrati viam quodammodo monstrasse videtur. Postquam enim huius rhetoris eo tempore in Thessalia commorantis institutione usus est, nihil antiquius habuit, quam ut scripta et per totam Graeciam divulgata oratione Graecos ad bellum contra barbaros adhortaretur, cum et voce et lateribus, quominus ipse orationem haberet, impediretur[1]. Neque tamen, quae molitus est, peregit; insignem vero laudem hac oratione adeptus, viam quam semel ingressus erat, pergere statuit scholamque condidit a. 380. Ab hoc igitur anno negotio mercede scribendarum orationum neglecto, eam vitae rationem iniit, quae tota in docenda arte rhetorica et oratione commendandis talibus rebus versabatur, quae non solum Atheniensium rempublicam amplificare atque in meliorem statum convertere, sed etiam omnium animos virtuti assuefacere atque verae sapientiae praeceptis informare deberent. Re vera, simulac hoc modo de rebus magnificis scribere instituit, ad leviora nunquam revertit, ita ut et ipsius et Apharei verbis, si non ultra annum 380 respiciamus, fides habenda sit.

Etsi his omnibus, quae modo disputavimus, eo deducimur ut prioris periodi usque ad annum 391 scriptis non multum pretii tribuendum esse statuamus, tamen hoc loco quo de tempore et ordine singularum orationum agere mihi in animo est, neglegendae non sunt. Complectitur haec periodus orationes hasce: *πρὸς Δημόνικον, Ἑλένης ἐγκώμιον, Βούσιρις, περὶ τοῦ ζεύγους, τραπεζιτικός, παραγραφὴ πρὸς Καλλίμαχον, Αἰγινητικός, κατὰ Λοχίτου, πρὸς Εὐθύνουν ἀμάρτυρος.* Quemadmodum oratio ad Demonicum, in omnibus quas inspexi editionibus primum locum obtinet, ita eam re vera primam esse, verisimile est. Omnibus quidem

[1]) Isocr. Phil. §. 81.

indiciis et testimoniis nobis destitutis ex indole atque dicendi ratione, quid de tempore habendum sit, quasi hariolemur necesse est. Tota autem oratio non multum gratiae habet, non nunquam per totas paginas tales res trahit, quae una periodo, conservata perspicuitate comprehendere poterat. Ubi gravem sententiam artificiis rhetoricis in lucem proferre studet, haec artificia usque ad taedium legentium repetit, quae cuncta auctorem admodum iuvenem produnt, quare non iniuria hanc orationem iam a. 403 conscriptam esse viri docti statuerunt.

Orationes hasce, Callimacheam, in Lochitem, Aegineticam, contra Euthynum multa indicia a XXX tyrannorum imperio non multum abesse ostendunt, quare plerique viri docti eas annis 402 et 401 attribuunt, neque est cur hoc in dubitationem vocemus, cum argumenta quibus annus evidenter demonstretur, neque ex orationibus ipsis neque aliunde peti possint. Nec certiora sunt, quae de oratione de bigis et Trapezitica proferre possumus, quare etiam in his sententiam vulgarem sequentes annum 396 et 394 recipiamus.

Restant Busiris et Helenes encomium, quarum orationum tempus hoc modo expiscandum est. Utraque oratio conscripta est in Polycratem sophistam, id quod de Busiride ex ipsa oratione, de Helenes encomio ex docta Spengelii[1] investigatione discimus. Qui quidem Polycrates cum praesertim in laudandis rebus futilibus versaretur, tum insignem laudem nactus laudatione Busiridis, Aegyptiaci herois, et accusatione Socratis; cfrs. Busir. §. 4. Hanc autem accusationem non eam esse, quae a. 399 coram iudicibus habebatur, iam Phavorinus apud Diog. Laert. II. 5 §. 39 monet, quippe quae murorum a Conone a. 393 instauratorum mentionem faciat. Inde sequitur, nec de Busiride orationem ante annum 393 conscribi potuisse, cum in ea Isocrates illam accusationem respiciat atque auctorem perstringat. De Busiride autem harum orationum priorem esse, inde colligere possumus,

---

[1]) Spengel l. l. pag. 75.

quod Polycratem admonitione Isocratis commotum leviora argumenta ut Busiridis laudationem reliquisse seque ad maiora ut laudationem Helenes, Agamemnonis, Thrasybuli convertisse scimus. Nihilominus utramque a. 392 conscriptam esse puto.

Quo haec brevius exposui, eo accuratius agendum mihi erit de altera periodo, quae complectitur orationes hasce: *πρὸς Νικοκλέα, Νικοκλῆς ἢ Κύπριοι, Πανηγυρικὸς, Φίλιππος, Ἀρχίδαμος, Ἀρεοπαγιτικός, συμμαχικός, Εὐαγόρας, Παναθηναικός, κατὰ τῶν σοφιστῶν, Πλαταικός, περὶ ἀντιδόσεως.* Singularem locum obtinet Panegyricus, si quidem prima oratio est, quae argumentum magnificum et splendidum tractans auctorem ad aliam scribendi rationem traduxit. Quod non tam ipsius laudi ducendum esse, sed ingenio potius magistri Gorgiae, a quo argumentum mutuatus est, supra monuimus. Inchoavit eam circa a. 392, edidit 381, quo de conferas Spohnii doctam de tempore Panegyrici[1] dissertationem editioni praefixam. Panegyricum excipit oratio contra sophistas, eam ob causam maximi momenti, quod eam ad scholam quasi inaugurandam a. 380 conscripsit, quare in ea de ratione artem docendi uberius exposuit. Duplex autem eius studiorum ratio iam in hoc scripto haud obscure cognoscitur; primum enim et inventionis et elocutionis praecepta cum discipulis communicavit; c. Soph. 16. *τὸ δὲ τούτων ἐφ᾽ ἑκάστῳ τῶν πραγμάτων ἃς δεῖ προελέσθαι καὶ μῖξαι πρὸς ἀλλήλας καὶ τάξαι κατὰ τρόπον, ἔτι δὲ τῶν καιρῶν μὴ διαμαρτανεῖν, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἐνθυμήμασι πρεπόντως ὅλον τὸν λόγον καταποικῖλαι καὶ τοῖς ὀνόμασιν εὐρύθμως καὶ μουσικῶς εἰπεῖν.* Quo facto discipulis in orationibus a se ipso compositis quomodo hac regulae adhibendae essent, demonstravit, unde intellegitur, orationes necessarium institutionis additamentum fuisse. c. Soph. 17. *τὸν δὲ διδάσκαλον οἷόντ᾽ εἶναι. περὶ δὲ τῶν λοιπῶν τοιοῦτον αὑτὸν παράδειγμα παρασχεῖν, ὥστε τοὺς ἐκτυπω-*

[1]) Isocratis Panegyricus ed. Morus-Spohn.

θέντας καὶ μιμήσασθαι δυναμένους εὐθὺς ἀνθηρότερον καὶ χαριέστερον τῶν ἄλλων φαίνεσθαι λέγοντας. A veritate non abhorret huiuscemodi praecepta eum etiam in arte rhetorica exposuisse, quo de cfrs. Spengel. l. l. pag. 154. Quam infirmis argumentis Bakius in scholicis hypomnematis Spengelii sententiam refutare conatus sit, vix habeo quod moneam.

Quae proximo loco sequitur oratio Plataica, qua Isocrates huius urbis civem inducit auxilium plorantem ab Atheniensibus ob devastatam a Thebanis patriam anno 374, et quidem statim post cladem conscripta est, cum inter Plataearum et Thespiarum eversionem parvum tantum temporis intervallum intercessisse constet, hanc autem orationem iam ante Thespias deletas conscriptam fuisse locus qui legitur §. 6 ostendat. Plataicam excipit Euagoras, quacum arcte cohaeret oratio ad Nicoclem et Nicoclis; et prima quidem encomium est in regem Euagoram, qui anno 374 decessit. Non ita multo post quam mortui regis virtutes hac oratione celebravit, eodemque sine dubio anno ad Nicoclem filium eius orationem misit, qua ei principis imaginem, qualis esse debet, adumbrat eumque ut patrem imitetur admonet. Tertia oratio a rege Nicocle coram populo habita esse fingitur, in qua cum multa iam de eius meritis erga populum proferantur, inde sequitur, eam non statim cum imperium susciperet, sed aliquantulum temporis postea anno 372 scriptam esse. Qui quidem ordo natura praescriptus videtur et suffulcitur loco tertiae orationis §. 11, ubi secundae orationis ut prioris aperte mentio fit. Archidamus adhortatio est ab hoc rege ad populum Lacedaemoniorum habenda ne de imperio Messeniaco desisterent, immo vero summa virium contentione id retinere susciperent. Quae oratio, si quid video, neque cum ignoto prooemii auctore in tempus post cladem Mantineensem detrudenda est, quippe quae unam tantum, qua fracti essent Spartanorum animi, expeditionem Thebanorum noscat[1], neque primae Boeotorum in

[1]) Archidamus §. 56.

Peloponnesum expeditionis tempori anno 370 tribuenda est. Ad quaestionem autem de tempore, quo haec oratio confecta sit, multum sine dubio valet locus[1], qui Dionysium Siciliae tyrannum iam diem supremum obiisse dicit, quo facile eo deducimur, ut hanc orationem anno 366, uno post huius tyranni mortem anno praeterlapso, scriptam esse statuamus, praesertim cum status Graeciae qualis in hac oratione describitur non facile in ullum annum melius cadat. — Orationem symmachicam, qua auctor Athenienses ad pacem cum Chiis, Rhodiis, Byzantinis ineundam et imperium de sociis sponte abdicandum admonet, anno 356 compositam esse accurata paragraphi 22. observatione evincitur. Ibi enim belli cum Cersoblepte de occupanda Chersoneso mentio fit, unde elucet, auctorem statim in initio belli socialis hanc orationem inchoasse, cum in fine eius Cersoblepten Atheniensibus eam sponte concessisse sciamus. Incipit autem bellum sociale, secundum Dion. Hal. anno 357, it ut iure hanc orationem anno 356 attribuamus.

Quo erant ea quae adhuc tractavimus interdum incertiora, eo certius iudicare possumus de earum orationum tempore, ad quas nunc progrediendum est. Anno 355 Isocrates a Megaclide de suscipienda trierarchia in iudicium vocatus, morbo impeditus effugit; sed iam duobus annis post anno 353 a Lysimacho iterum accusatus, trierarchiam exsolvit; quo eodem anno ut ab inimicorum iniustis criminationibus se liberaret populoque imaginem quasi totius vitae studiorumque ostenderet, celeberrimam de permutatione orationem conscripsit. — Philippo regi Macedoniae, qui cum Atheniensibus de Amphipoli bellum gerebat, oratione suadere conatus erat, ut hoc bello desistens Athenienses benevolentia sibi obligaret. Dum in hac oratione occupatus est, repente nuntius de pace iam inita affertur (Phil. §. 9) quare mutato consilio, regem ad bellum contra Persas suscipiendum adhortatus est; scripta igitur est oratio anno 356. —

[1]) Archidamus §. 44. 45.

Ultima prodeat Panathenaica oratio, quae notissimas Athenarum laudes continet. Hanc orationem componere incepit anno 342, morbo deinde per triennium impeditus, anno demum 339 eam conficere potuit, id quod ipsius orationis verbis comprobatur. De eius epistolographia pauca addenda sunt; in universum autem notandum est, seriore demum tempori huic scripturae generi eum operam dedisse atque cum publica tum privata argumenta in epistolis tractasse. Prioris generis epistolae (ad Dionysium, Philippum, Archidamum) hoc inter se commune habent, quod cunctae pariter bellum persicum spectant; in quibus autem de privatis negotiis auctor agit, eae leviores sunt, quam quibus rei nostrae aliquid momenti afferatur, quare hoc loco silentio eas praetermittere satius duxi. Ultima ad Dionysium epistola Theophylacti cuiusdam opus subditicium est.

Haec habui, quae de Isocrateorum scriptorum ordine praemonenda videbantur. Fundamento hoc modo ceteris de Isocrate quaestionibus quasi substructo, iam sequitur, ut primum de eius philosophia agam. Socratis eum discipulum fuisse, iam supra diximus, quare nihil mirum habet, si in eius scriptis, placita qualia Socrates commendare solet, nobis obviam fiunt. De diis autem ita statuit, omnibus eos virtutibus exstructos, nullis vitiis contaminatos esse. Bus. §. 41. Quomodo ornati rebus humanis prospiciunt et quaecunque mortalibus accidunt, cognita perspectaque habent, Areop. 620, Antid. 321, ita ut divinam animadversionem homines evitare non possint, si male se gesserint. Religio εὐσέβεια ex eius sententia optima ea est, quae εὐπραξίᾳ nitatur, meliusque homines iustitiam sequendo, omnibusque ceteris virtutibus studendo deos colunt, quam sacrificiis et caerimoniis. Dem. §. 13 ad Nic. 20. Nic. 2. Ubicunque igitur religionis mentionem facit, cum ea coniungit iustitiam ceterasque virtutes, unde elucet, eum veram εὐσέβειαν his contineri sibi persuasum habuisse. Dem. §. 16. Virtutum primaria, in qua quasi cardine omnes ceterae vertantur est δικαιοσύνη, sine qua nemo veram beatitudinem

assequi potest. de Pace 63. Nic. 30. Neque vero ultra haec exteriora ethices praecepta progressus est, ita ut valde errares, si eum in eorum numerum referre velles, qui Socratis sapientiae praecepta excolerent et consummarent. Longe enim alia eius philosophiae imago est, quam ipse sibi excogitavit et scriptis commendavit. Philosophum neminem haberi posse affirmat, nisi qui eloquentia adeo excellat, ut de rebus magnis orationem habere, aliosque dicendi artem docere possit, ita ut eius iudicio philosophia eloquentia penitus comprehendatur. Argumentatio autem eius haec fere est. Vere exculti atque perfecti[1] *πεπαιδευμένοι καὶ τέλειοι* ii sunt, qui res quotidie incidentes optime in usum suum convertunt, *χρώμενοι τοῖς πράγμασι τοῖς κατὰ τὴν ἡμέραν ἑκάστην προσπίπτουσιν*, qui prudenter ea deligunt, quae sibi usui esse possunt *στοχάζονται τοῦ συμφέροντος* — deinde, qui semet ipsos hominum iniquitatibus accommodare possint, *τῶν ἄλλων ἀηδίας καὶ βαρύτητας εὐκόλως καὶ ῥαδίως φέροντας*, quibus tertium ut summum accedit, ut voluptatibus non corrumpantur, rebus adversis non consternantur, neque secundis nimis efferantur, sed summam semper aequabilitatem et moderationam ostendant. Paullo strictius alio loco sapientes eos appellat, qui eam scientiam amplectuntur, qua optimum quidque assequi liceat, *σοφοὺς δὲ νομίζω τοὺς ταῖς δόξαις ἐντυγχάνειν ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ τοῦ βελτίστου δυναμένους*[2]. Philosophi autem et sunt et habentur qui in iis rebus versantur, quibus celerrime haec bene sapienterque vivendi ars acquiratur, sc. qui rhetoricae operam dant. *φιλοσόφους δὲ νομίζω τοὺς ἐν τούτοις διατρίβοντας, ἐξ ὧν τάχιστα λήψονται τοιαύτην φρόνησιν. Ἃ δέ ἐστι τῶν ἐπιτηδευμάτων ταύτην ἔχοντα δύναμιν ἔχω μὲν εἰπεῖν ὀκνῶ δὲ λέγειν;* sc. studium eloquentiae. Minime igitur finis eius artis est, ut in concione et iudiciis persuadeat, neque is, qui minuta tantum et levidensia argumenta tractat, iudici

---

1) Cfrs. Panathenaicum §. 30 sqq.

2) De Perumtatione §. 271 sqq.

alia huiuscemodi, philosophum se gerere iure potest, sed is tantum, qui de rebus magnis praeclarisque, de statu totius Graeciae et quae his similia sunt, dicere potest *περὶ τῶν Ἑλληνικῶν καὶ πολιτικῶν πραγμάτων ὑποθέσεις μεγάλας καὶ κάλας καὶ φιλανθρώπους καὶ περὶ τῶν κοινῶν πραγμάτων.* Talia enim argumenta saepius tractando magis magisque illam egregiam sapientiam assequetur, eamque etiamsi alias res suscipit, retinebit[1]. *ὁ δὲ τὰς τοιαύτας πράξεις συνεθιζόμενος θεωρεῖν καὶ δοκιμάζειν οὐ μόνον περὶ ἐνεστῶτα λόγον ἀλλὰ καὶ περὶ τὰς ἄλλας πράξεις τὴν τοιαύτην ἕξει δύναμιν.* Necesse igitur est eum qui hoc modo orationibus scribendis operam det, non solum facultatem bene dicendi, sed paullatim veram sapientiam, quae sit philosophia, assequi[2]. *ἅμα τὸ λέγειν εὖ καὶ φρονεῖν παραγενήσεται τοῖς φιλοσόφως καὶ φιλοτίμως πρὸς τοὺς λόγους διακειμένοις.* His atque similibus argumentis suam disciplinam omnes artes continere solamque homines meliores reddere, commonstrare conatur, non eam philosophiam, quam sophistae aliique profitentur. Quo modo fit, ut eloquentiae quavis data occasione ipsius philosophiae nomen imponere non dubitet. Dem. prooem. *καὶ σοὶ μὲν ἀκμὴ φιλοσοφεῖν ἐγὼ δὲ φιλοσοφοῦντας ἐπανορθῶ.* de Pace *καὶ φιλοσοφήσετε καὶ σκέψεσθε* Hel. 66. *τοὺς δὲ φιλοσόφους πειρᾶσθαί τι λέγειν περὶ αυτῆς* sc. *Ἑλένης* Panath. 236. *ἀλλ' ἡμῶν πεῖραν λαβεῖν βουλόμενος εἰ φιλοσοφοῦμεν.* Panath. 271. *νομίζοντες σπουδαιοτέρους καὶ φιλοσοφωτέρους εἶναι τοὺς διδασκαλικοὺς καὶ τεχνικοὺς λόγους καὶ πρὸς τὰς ἐπιδείξεις καὶ πρὸς τοὺς ἀγῶνας γεγραμμένων* Permut. 244. *καταφρονεῖν τῆς φιλοσοφίας* — alia sexcenta; sed haec satis sint, unde intellegatur, quam vim Isocrates suae disciplinae tribuerit. Quibus de rebus, quid habendum sit, optime elucet, si cum eius placitis philosophicis, quid Plato eodem fere tempore docuerit, paullo accuratius conferas,

---

1) Permut. §. 277.
2) Permut. §. 277.

qui quidem philosophiam non ut artem quandam bene copioseque de rebus magnificis dicendi definit, sed ut verissimam omnium rerum cognitionem, *μακρῷ ἀληθεστάτη γνῶσις*, a qua toto coelo differat, quae usu quotidiano atque experientia comparatur cognitio *συνηθεῖα ἐμπειρία*, cum neque causas neque naturam rerum noscat, atque omnino ea firmitate careat, quae cognitioni vere philosophicae inesse opus sit. Quemadmodum autem vix dici potest, quantum intersit inter cognitionem philosophicam atque scientiam ex quotidiano usu haustam, ita etiam inter veros philosophos hominesque vulgares mirum discrimen intercedit. Illi qui usu quotidiano atque experientia scientiam sibi paraverunt, nihil vere bonum existimant, nisi quod oculis videre manibusve tenere possint *οἱ οὐδὲν ἄλλο οἰόμενοι εἶναι, ἢ οὗ ἂν δύνωνται ἀπρὶξ τοῖν χεροῖν λαβέσθαι καὶ πᾶν τὸ ἀόρατον οὐκ ἀποδεχόμενοι ὡς ἐν οὐσίας μέρει*, verae philosophiae expertes eiusque cognitione indigni sunt, *ἄμουσοι*, hi ipsi, qui Isocrati veram philosophiam assecuti esse videntur.

Unde hoc satis elucet, Isocratem ad philosophiam quod attinet, nihil fere ab hominibus vulgaribus differre minimeque ad Platonis egregia placita aspirare posse. Iure mihi quidem quisquam obloquatur, Platonem literas ab omni vitae atque negotiorum communione revocasse, atque in ignavum otium revocasse, ita ut eos, qui inde a iuventute in iudiciis et circa forum volutentur, ad eos qui in philosophia educati sint, ut servos ad liberos comparandos esse iudicet, Isocratem vero unice publicam vitam spectantem recte fecisse, si his placitis se abdicaverit. Quibus de rebus equidem haud gravate concesserim, Platonem rerum publicarum atque bonarum artium, in quibus etiam rhetorica numeranda est, iusto acriorem censorem se praebuisse, eam vero ob causam egregia eius placita exulare non debent, quod ipse actuosae contemplativam vitam, ut Senecae verbis utar, praetulerit. Quodsi aequales vix eius sublimitatem aequare possent, tamen aliquatenus eius placita cognovisse neque

iis contraria ut recta ponere, inprimis eum decet, qui non uno loco se omnes boni oratoris numeros explere glorietur.

Dum in Isocratis placita inquiro, ultro delabebar etiam ad Platonis philosophiam cum Isocratea comparandam, quare hoc loco nonnulla de amicitia, quam intercessisse volunt Platonem inter et Isocratem nonnulli viri docti, addam.

Et primum quidem ab iis, qui omnibus viribus eam tueri suscipiunt, celeberrimus in ultima Phaedri pagina locus decantatur, cui adduntur Ciceronis verba, qui „me, qui Isocratem non diligunt, inquit, una cum Socrate et Platone errare patiantur“. Quo accedit apud Diogenem Laertium Praxiphanis testimonium, qui quandam conscripsit inter eos habitam de poetis disputationem, cum ruri Platonis hospitio frueretur Isocrates. *καὶ Ἰσοκράτει φίλος ἦν καὶ αὐτῶν Πραξιφάνης συνέγραψε διατριβήν τινα περὶ τῶν ποιητῶν ἐν ἀγρῷ παρὰ Πλάτωνι ἐπιξηνωθέντος.* Quorum locorum coniuncta vi Isocrati non solum egregia laus exorta est, sed etiam omnes inde statuerunt, amicitia eius cum Platone inita nihil certius atque sanctius excogitari posse, dum tandem Spengelius l. l. pag. 131, ne nimiam huic de Isocrate iudicio fidem tribueremus, prudenter monuit. „Infelix est, inquit, Platonis auguratio, cuius contrarium docuit eventus, et quovis pignore certare paratus sum, Platonem suam de Isocrate sententiam mirum quantum postea mutasse.“ Ego autem confidenter eum non solum suam de eo sententiam postea mutasse, sed adeo etiam eius placita sprevisse contendo, ut de amicitia inter eos inita vix et ne vix quidem cogitari possit. Quamquam enim Phaedrus multo seriore tempore conscriptus est quam habitus esse fingitur, tamen non ultra annum 390 progrediendum esse, viri docti inter se convenerunt. Usque ad id tempus Isocrates nullis orationibus nisi iudicialibus inclaruerat, ita ut etiam tunc videatur Plato recte iudicare cum diceret: „Minime mirum est, si cum aetate processerit, aut in hoc orationum genere superet omnes, aut si his contentus non fuerit, divino aliquo motu concupiscat maiora, inest enim philosophia quaedam

in huius viri mente". Longe aliter se res habuit, cum circa annum 380 aliam vitae rationem suscepturus totum se iuvenibus erudiendis tradidit suamque docendi atque philosophandi rationem scriptis atque editis orationibus circumscribere atque commendare studuit. Apparuit autem eo tempore inter horum virorum studia tanta diversitas, ut alter alterius praecepta tamquam aperte falsa atque futilia perstringeret iisque contraria ut recta proponeret. Quae licet iam supra exposuerim, tamen operae pretium facturus videor, si potiora istius disputationis lineamenta iterabo. Plato e vita aufugere totumque se iis rebus tradere iubet philosophum, quibus unice verum cognosci possit, Isocrates sapientem nominat, qui se vitae vicissitudinibus accommodare studet atque ex iis quam maximam possit utilitatem trahere. philosophiam igitur scientiam esse putat, quae vitae vulgari rebusque gerendis homines pares reddat. Pauca tantum Socrates, quem Plato in sermonibus loquentem inducit, comperta habere sibi visus est; quam magnifice atque superbe Isocrates de se iudicare consueverit, facile ex oratione Panathenaica, contra sophistas et ex Antidosi cognosci licet; namque de se praedicare non dubitat, sua sola disciplina, qui eam sequantur meliores fieri. Scimus, ut nonnulla proferam exempla, Platonem primum omnium unam esse virtutem, quae in quatuor quoddammodo partes abeat, statuisse; Isocrati, qui quaestionibus de virtute, sitne una an multae, operam dent, nugas tractare videntur[1]; rursus Plato in Theaeteto et Phaedro[2], eam dicendi et philosophandi rationem, quam Isocrates amplexus est[3], summis contumeliis exagitat. Quae si omnia mecum reputo, ad eam quam proposui sententiam necessario ducor. Cur autem Ciceronem hac in re unice audiendum non putem, has habeo causas. Platonis placita non ex ipsis scriptis sed ex aliis fontibus

---

[1]) Isocrates Hel. §. 1.

[2]) Plato Phaedrus pag. 267. A.

[3]) Isocrates Paneg. §. 8.

interdum minime puris hausit. Id cum multis aliis rebus tum inprimis inde cognoscitur, quod praeter Phaedrum nullius Platonici scripti mentionem facit; hunc eam scilicet ob causam inspexisse videtur, quod ibi de rhetorica, de Isocrate et Lysia agitur. Praeterea in scriptis rhetoricis nihil magis commendare studet, quam rhythmum et numerum, quem ipse primus in orationem pedestrem induxit et inducendum curavit. In quo describendo cum potissimum Isocratem atque eius discipulos Naucratem, Theodectem, Theophrastum secutus sit, eum se his iusto mitiorem censorem praebuisse quid est quod miremur. — Diogenis Laertii testimonium pariter reiiciendum est, cum pro certo affirmari non liceat, eo tempori adscribendum esse istud colloquium, quo uterque scriptis in vulgus editis suam doctrinam commendaverat; Platonem autem admodum iuvenem Isocratem natu maiorem benigne recepisse ex utriusque cum magistro Socrate amicitia explicandum videtur. Sed haec satis sunt, unde intellegatur, talem necessitudinem, qualem describit Pfundius inter eos non intercessisse, quamquam hoc certis argumentis firmari nequit, eos dedita opera invicem sibi invidisse, id quod constat de Aristotele, qui ipso Platone vivente Isocrati acerbissimus adversarius exstitit, et de Theopompo, celeberrimo Isocratis discipulo, qui Platonis placita omnibus modis infringere studuit (Athenaeus XI. pag. 508 c. epistolae Socratt. XXX.).

Neque melius quam de suae aetatis philosophis de veterum temporum sapientibus iudicat, quorum memoria paucis repetenda est. Empedocles autem Agrigentinus, cui naturam rerum his duobus principiis, discordia atque amicitia, moveri placuit, Alcmaeon praeterea et Melissus nihil ei nisi nugas tractasse videntur quae miraculosis praestigiis *περιττολογίαις*[1] nihil differant. Fuerunt quidem inter hos viros plurimi, quorum doctrina maxime in cognoscenda rerum natura posita atque a rebus aspectabilibus longissime

[1]) Antidosis §. 269.

remota erat, in his numerandi sunt Parmenides atque Zeno Eleaticus, neque tamen eorum studia tam levia atque futilia erant, ut ea cognovisse iam vitio tribuendum sit. Socrates merito insigni laude dignus, quod philosophiam ad genuinam animi culturam transduxit, sed in hac re omnes mecum consentient, fuisse etiam inter philosophos ante Socratem sagacissimi animi viros, in his, ut exemplo utar, Anaxagoras physicus, qui divino quodam philosophandi impetu ductus domum agrosque reliquerat — ex quorum placitis etiam Isocrates aliquid discere potuisset, si non omnino ea ignorasset vel primoribus tantum labris gustasset, cum praesertim oratorem maxime deceat non uni plane generi addictum alterum prae alterius studio contemnere. De mathematicis atque astronomia ita disseruit[1], ut adolescentibus vix ea commendet; nullo pacto viris, adolescentibus autem nullam aliam ob causam hoc studium permittit, quam quod eos a multis vitiis et flagitiis revocat. Cum enim summum pretium iis tribuendum esse censeat, quibus homines rebus gerendis idonei fiunt, eas res quae nihil utilitatis vitae afferant iure contemni dicit. Multos se novisse, ait, qui his disciplinis adeo excelluerint, ut vel alios docere possint, in rebus vero gerendis se ipsis discipulis imprudentiores praestiterint; quasi hi viri omnino bene de republica mereri non possent. Nonne mathematicorum studium eam ob causam multo praestantiorem fructum habet, quod mentes acuit et subtili rerum tractationi aptas reddit? Plato eam philosophiae meditationem habuit, quae cognitionem ad intellectum notionum purarum praeparet. Quemadmodum de poetis eorumque studiis in universum non bene iudicasse videtur, ita inprimis vix ei ferendum est, in tanto honore apud omnes esse comoediarum scriptores, qui communicando cum ceteris nationibus vitia publica, aperte contra patriam

---

[1]) Panathenaicus §§. 27, 28.

[2]) Symmachicus §. 14. ὁ γὰρ πάντων δεινότατον κτέ. Aristoph. Acharn. v. 501.

agant[2]. His contumeliis inprimis Aristophanem peti valde probabile est, qui summo in patriam amore commotus conscripsit comoedias, ut quae pessumdata perniciosissimis levissimorum hominum consiliis erat pristinam gloriam et laudem recuperaret.

Postquam demonstrasse mihi videor, in philosophia Isocratem non supra homines vulgares surrexisse et quod est verisimile, ne cognovisse quidem Platonis aliorumque philosophorum placita, iam sequitur ut de eius politica agam. Cum enim ut potissimum eius orationum insigne atque peculiare et ab eo ipso et ab omnibus aequalibus collaudetur, quod genus politicum sibi elegerit, Antid. §. 25 λόγοι οὐ περὶ τῶν ἰδίων συμβολαίων ἀλλὰ Ἑλληνικοὶ καὶ πολιτικοὶ καὶ πανηγυρικοί, accuratam eorum investigationem, quae in orationibus inde ab anno 381 editis de Graecia in meliorem statum promovenda inveniuntur, maximi momenti esse patet. Quamquam cum cuncta propter augustos fines exsequi non liceat, potiora tantum huius generis specimina vel Panegyricum Panathenaicum Symmachicum Areopagiticum in hac commentationis parte in discrimen vocabo. Ac primum quidem consilium belli Persis inferendi, quod acceptum a magistro Gorgia, primum in Panegyrico deinde quavis data occassione, uberius exposuit, admodum in deliciis habuisse videtur. Antidosis §. 77 ἔτι δέ τις ἂν περὶ καλλιόνων καὶ μειζόνων πραγμάτων τοῦ τοὺς Ἕλληνας ἐπί τε τὴν τῶν βαρβάρων στρατείαν παρακαλοῦντος καὶ περὶ τῆς πρὸς ἀλλήλους ὁμονοίας συμβουλεύοντος. Mores autem totiusque Graeciae statum, quales his temporibus essent, perlustrantibus, consilium belli Persis inferendi maxime mirum atque intempestivum fuisse videtur. Primum enim belli Peloponnesiaci vulnera nondum erant sanata animique Graecorum fracti, singulorum populorum condiciones adeo miserae atque perversae ut si quis mores statumque non omnino ignoraret, sperare non posset, fore ut sola oratione divulgata viam ad occupandum et evertendum Persarum regnum muniret. Longum est omnia impotentiae atque miseriae eius temporis signa afferre. Bellis saevissimis et

maxima civium discordia cum multi et optimus quisque essent exstincti, omniumque fere civitatum instituta Spartanorum superbia essent labefactata, num putare possumus, tam parvis auxiliis maximum bellum feliciter agi et geri potuisse. Ex ipso autem Panegyrico demonstrari potest, eum multas res huic orationi inseruisse, quibus Graeci potius a bello avocari quam incitari deberent. Cum enim pluribus locis acerrime castiget Spartanos, quippe qui Mantineam et Olynthum iniuste occupaverint, tali admonitione Graecos magis ad coercendam Spartanorum vim, quam ad debellandos Persas incitavit. Nihil igitur omnino mirandum est si eventus magnas spes eius fefellit. Neque tamen a consilio semel proposito destitit, sed in eo peragendo tantum ardorem tantamque pertinaciam praestitit, quantam vix in ullo oratore invenies. Deinceps enim omnes fere Graeciae principes ad bellum contra Persas vel scriptis orationibus vel epistolis adhortatus est; primum Dionysium, Syracusarum tyrannum, deinde Alexandrum Pheraeum (Orelli epist. Socratt.) postremo Archidamum, cui amicitia coniunctus fuit. Omnes hi viri optime perspexisse videntur, tale conatum omnino perfici non posse, cum nusquam de suscepto iam ab iis bello aliquid audiamus. Plurimum vero sine dubio admisit, cum Philippum Macedoniae regem, ad componenda inter Graecos discidia et ad bellum contra Persas suscipiendum adhortaretur; adeo obcaecatus eius erat animus ut libentissime se ferre senectutis molestias gloriaretur, postquam dies illuxisset, quo bellum Persis ab imperatore tam strenuo inferretur. Ipsi Philippo iam nihil amplius deesse, quam ut deus sit! Verum contra patriae amorem solum ab iis coli, qui cum Demosthene Philippo adversabantur, tunc temporis intellegere non potuit; sero supervenit poenitentia, postquam clade Chaeronensi accepta solum Philippum Atheniensibus pestem atque ruinam attulisse, neque tam iis subvenire quam eos opprimere voluisse, luce clarius factum est. Ipse voluntaria morte poenam sibi irrogare voluit, quae commissis in patriam par esset.

Et haec quidem de Panegyrici argumento; eodem modo consilium de thalassocratia sponte abdicanda repugnat Atheniensium imagini, qualem ex historia excutere consuevimus. Quomodo enim quaeso Athenienses, qui mari gloriam atque magnitudinem debuerunt, qui imperium maritimum tanto labore tantisque bellis tueri susceperunt, omnis veterum temporum memoriae oblivisci omnemque veterem traditionem ex animo pellere potuissent, ut imperio maritimo sponte abdicato socios bonis locupletarent, suo ipsorum sanguine atque sudore paratis? Quam potissimum ob causam digni sunt, quos admiremur, Themistocles, qui primus omnium optime perspexerit, Atheniensium rempublicam nisi navalibus copiis suffulciri non posse, et Pericles, qui vestigiis eius insistens, Atheniensium reipublicae maris imperio tot tantosque reditus paraverit, ut omnium firmissimi atque opulentissimi essent. Cuius imperii, quod Athenienses in fastigium gloriae adduxerat, cum aeque atque ipsi, Lacedaemonii cupidi essent, contentione inter utrosque orta, Athenienses summam fortunae vicissitudinem experti, succubuere; at multum errares, si inde cum Isocrate solum imperium maritimum iis pestem attulisse, statuere velles. Lacedaemoniorum autem civitas, quam eandem recepto imperio maritimo fere funditus eversam esse, Isocrates dictitat, nullam aliam ob causam hanc cladem accepit, quam quod imperio retinendo Lacedaemonii impares essent. Quodsi quaerimus, quibusnam de causis hoc imperium utrique civitati exitio fuerit, Isocrati verisimillimum videtur, hoc infortunium ex iniustitia derivandum esse, serioque addit ipsos socios, postquam Athenienses ab ea desistentes viderint, facile *πλεονεξίαν* derelicturos esse atque summopere Atheniensium imperium amplificaturos[1]. Quod quidem nobis socios spectantibus totiens rebellantes, totiens Atheniensibus interitum molitos mimime persuasum esse potest.

Neque eorum, quae interno reipublicae statui pristinum

---

[1]) Symmachicus §. 28.

nitorem reddere deberent, ratio non habuit Isocrates, quem quidem ad leges institutaque maiorum animum advertisse atque de iis pluribus locis accuratius egisse videmus. Intellexerat scilicet, rempublicam veterem gloriam atque potentiam recuperare non posse nisi prius salubribus legibus atque institutis ab ea perversitate revocaretur, quam ea aetate fuisse, plus unum indicium est. Quo in genere inprimis digna memoratu est Areopagitica oratio; tenendum autem ante omnia id est, Isocratem semper ab optimatium potius quam a populi partibus stetisse, quod pluribus locis Nic. §. 31 Paneg. §. 52 comprobatur. Quare vix est, quod miremur, si in comparando vetere et sui temporis reipublicae statu prorsus ita iudicat, optimos semper viros reipublicae gubernaculis admotos esse, donec suffragiis magistratus crearentur, pessimos interdum, simulac quisque sorte summos honores adipisci potuisset, indeque et magnitudinis et labis Atheniensium reipublicae causas repetit. Falsam esse hanc sententiam, omninoque id discrimen, quod optimatibus tantum aditum ad summos honores patefaceret, non diu observari potuisse, facile demonstrabitur. Etenim cum in Atheniensium republica cuncti pro virili parte in republica augenda elaborarent, tum hoc omnes persuasum habuerunt atque perspectum, in depellendis barbaris vel infimi loci cives non minores partes egisse, quam optimates, indeque explicandum est si viri exstiterunt, qui *κοινὴν εἶναι τὴν πολιτείαν καὶ ἄρχοντες ἐξ Ἀθηναίων ἁπάντων αἱρεῖσθαι* dictitantes, eam reipublicae gubernandae rationem statuerunt, qua cuique capessendorum honorum potestas concederetur. Neque fuit, cur huius immutationis eos poeniteret. Tantum enim abfuit, ut Athenienses republica hoc modo temperata statim a maiorum virtute degenerarent, ut eadem obtemperandi legibus verecundia, eadem in colendis numinibus pietas appareret, studium autem in patria exornanda multo acrius esset, ita ut iure ipsius Isocratis verba Paneg. §. 79 *οὕτω δέ πολιτικῶς εἶχον ὥστε καὶ τὰς στάσεις ἐποιοῦντο πρὸς ἀλλήλους οὐχ ὁπότεροι τοὺς ἑτέρους*

ἀπολέσαντες τῶν λοιπῶν ἄρξουσιν ἀλλ' ὁπότεροι φανήσονται τὴν πόλιν ἀγαθόν τι ποιήσαντες, in huius aevi Athenienses referre mihi videar.

Neque vero hoc ita accipi velim, quasi Isocratem in sui temporis statu describendo multa supra modum extulisse arguam, sane Athenienses a maiorum virtute turpiter desciverant et in luxuriam, ignaviam, cuiusvis generis vitia inciderant, meritoque Isocrates summis laudibus dignus censendus est, quod Atheniensibus viam, quam ingressi calamitates et pericula evitare possent, commonstravit. Sed vereor, ne Areopagi auctoritas restituta, qua et imperium populi frangeretur, et optimis rursus administratio populi demandaretur, non apta fuerit. Cum enim Athenienses hac potissimum re excellere sibi viderentur prae ceteris Graecis, quod cuique civi cordato aditus ad summos honores patebat, num eos permissuros esse iure putare possumus, ut magistratus, penes quem summa potestas esset, ex optimatibus tantum suffragiis eligeretur. Deinde etiamsi hoc fieri potuisse concedamus, ut Areopago eadem administrandae reipublicae potestas, quam Solonis temporis habuerat, redderetur, quomodo quaeso magistratus, cuius auctoritas tamdiu fere nulla fuerat, effrenatae plebis licentiae imperare potuisset? Easdem fuisse et labis et magnitudinis Atheniensium causas, et Areopagum, ut ad magnitudinem condendam non multa contulerit, ita, etiamsi pristina auctoritas ei redderetur, labem reipublicae reprimere non potuisse Isocrates perspicere non potuit. Mitto iam, quod pluribus huius orationis locis auctor omnino ignorare videtur, quomodo et magistratus crearentur, et quaenam iis demandata essent, velut §. 20, ubi maiores usque ad Periclis tempora magistratus suffragio, quod optimum quemque respiceret non sorte creavisse, dicit, quamquam certo constat sive ipsum Clisthenem, sive alium quem eodem fere tempore ut magistratus *ἀπὸ τοῦ κυάμου* fierent, instituisse. Quae omnia de Isocratis e genere politico argumentis dicta si collegerimus, hoc affirmandum arbitrabimur, magnam eum et morum et reipublicae status plerum-

que inscitiam ostendere, cum omnes conatus, quibus misero atque perverso reipublicae statui mederi voluit, non solum ad irritum redactos esse, sed nonnunquam condicionem multo deteriorem, quam antea effecisse viderimus.

CAPUT ALTERUM.

Venio ad alteram commentationis partem, qua de Isocrate rhetore deque artibus, quibus orationem ornaverit, ut brevi dicam, de eius elocutione me acturum esse in initio sum professus. Fuit Isocrates ei dicendi generi addictus, quod est natum apud Siculos, quae est gens acuta et controversa natura, a Gorgia primum ad Athenienses translatum mox multos imitatores invenerat. Cum enim antea Herodoto inprimis auctore id dicendi genus excultum esset, quod verba verbis sine arcta cohaesione annecteret, *λέξις εἰρομένη*, Gorgias orationem suam ita conformavit, ut sive paria paribus, sive contraria contrariis adiungendo *λέξιν ἀντικειμένην* efficeret. Quod dicendi genus iam Antiphon et Thucydides receperunt, quamquam specie quadam antiquitatis austeritatem non insuavem repraesentarunt (*χαρακτὴρ αὐστηρός*), quam Isocrates cum ea concinnitate commutavit, quam ipse in oratione contra sophistas uberius descripsit, ita ut inter Herodoti simplicitatem et Isocratis concinnitatem Thucydides atque Antiphon austeri generis auctores medium quasi teneant. — Gorgias autem, quemadmodum omnibus, quae ingeniose invenerat, usus est intemperantius, ita quoque in effingenda *διὰ λέξεως ἀντικειμένης* concinni tate immoderatius egit, ita ut oratio eius minuta versiculorumque similis videretur. Quod cum optime perspiceret Isocrates, Antid. §§. 46, 47. „*εἰσὶ γάρ τινες οἱ λόγους γράφειν προῄρηνται Ἑλληνικοὺς καὶ πολιτικοὺς καὶ πανηγυρικοὺς οὓς ἅπαντες ἂν φήσειεν ὁμοιοτέρους εἶναι τοῖς μετὰ μουσικῆς καὶ ῥυθμῶν πεποιημένοις ἢ τοῖς ἐν δικαστηρίῳ λεγομένοις. καὶ γὰρ τῇ λέξει ποιητικωτέρᾳ καὶ ποικιλωτέρᾳ τὰς πράξεις δηλοῦσι* — dilatare verbis et mollioribus explere nu-

meris instituit. Quaecunque autem de Isocratis meritis in rhetorica traduntur, ad duo capita referri possunt, quorum unum comprehendat, quae pertinent ad universam quam induxit dicendi rationem, alterum externas quas adhibuerit artes complectatur. Prior Isocrateae dictionis virtus uno ore a grammaticis sic explicatur. Cum concisus ei Gorgias et Thrasymachus viderentur, primus *κύκλον* quem vocant, in orationem inducendum curavit, ita ut quasi in orbe inclusa oratio decurrat, quo de cfrs. Dionys. Hal. Iud. de Isoc. pag. 538 de admir. vi Demosthenis cap. 19 pag. 1008 ed. Reiske, Cic. orator. 53, 177, 178. In componendis autem et continuandis periodis, quae orbem orationis efficiunt, insignem diligentiam collocavit, cum cautissime, quae in initio vel fine ponantur verba, adhibitis interdum pedibus rhythmicis deligere nec facile quidquam eorum, quae vel orationi pedestri numerum tribuere possint neglegere soleat. Cuius exquisitissimae Isocratis curae multa apud veteres testimonia exstant. Plutarchus in libro de gloria Atheniensium Isocratis minutiis, ut ei videtur, interdum adhibitam curam leniter perstringit eumque prae Chabria et Iphicrate spernit, quod ille, dum hi victoriis patriam augent, domi cincinnos orationis torqueret, magisque quam hi sonum armorum phalangum concursum et vulnera metueret ne membrum quod aiunt aequale una syllaba proferret brevius vel vocalem cum vocali collideret. Quo loco[1] ea Isocrateae dictionis virtus, quam in componendis et continuandis periodis excoluit, aperte verbis *φοβούμενος συλλαβῇ τὸ ἰσόκωλον ἐνδεὲς ἐξενεγκεῖν* intellegitur. Ipsum quoque de hoc capite in libro quem de arte rhetorica conscripsit, uberius exposuisse nihil dubitationis est, cum vel in ipsis orationibus nonnulla quae huc trahenda sunt, deprehendi liceat velut c. sophistas §. 16 sq. epist. VI. §. 8. Quibus diligenter investigatis, saepius deinde repetita lectione, comparatione denique cum Antiphonte et Thucydide instituta, quid Iso-

[1]) Plutarchus de gloria Athen. p. 350.

cratis elocutio hac in re peculiare praebeat atque insigne optime enucleari posse, in propatulo est. Quorum nihil me hoc loco exsecutum esse, iure viri docti vituperabunt. Spero tamen fore, ut difficillimam quaestionem, quae egregiam doctrinam atque exercitationem requirat, paucis tantum adumbrasse iuvenili opellae ignoscatur.

Itaque pergo ad ea quae de altero capite proferre mihi in animo est. Ad numerum in oratione efficiendum, id quod sine dubio omnium maxime spectavit Isocrates, plurimum conferunt, quae eadem a Gorgia accepta insigni cura excoluit schemata vel figurae. Quae sunt *ἀντιθέσεις, παρισώσεις, παρομοιώσεις*, quibus dubitanter adiungimus *παρονομασίας*, quo de cfrs. Dion. Hal. de compos. verborum pag. 368, de Lysia pag. 483, de Isocr. pag. 539, de admir. vi Demosthenis pag. 963, de Thucydide pag. 869, Cic. orator. c. 52, qui paria paribus adiuncta *πάρισα* et similiter definita *παρόμοια* itemque contrariis relata contraria *ἀντίθετα*, Gorgiam primum adhibuisse dicit, quem Dionysius immoderatius iis usum esse contendit; iudicium de Isocrate pag. 561 *οὐ γὰρ τὸ γένος μέμφομαι τῶν σχημάτων, ἀλλὰ τὸν πλεονασμόν.* pag. 625. *Γοργίαν ἐκπίπτοντα τοῦ μετρίου ὅρων.* Ipsum Isocratem interdum his rebus nimis indulsisse atque iis frequentius adhibitis dignitatem minuisse dicit in lib. de Demosthene pag. 963. *ἁμαρτάνει ἐν οἷς ὡραΐζεταί ποτε, τοὺς Γοργίου νεαροὺς σχηματεσμοὺς ζηλοῦσα. τὰ γὰρ ἀντίθετά τε και πάρισα καὶ τὰ παραπλήσια τούτοις οὔτε μετριάζοντα οὔτε καιρῷ γινόμενα, καταισχύνει τὴν μεγαλοπρέπειαν αὐτῆς.*

Iam ut ad singula transeam in definiendis figuris duo nobis praesto sunt auctores, Anaximenes, quem primum in lucem protraxisse insigne Spengelii[1] meritum est, et Aristoteles. Cum vero Anaximeneae artis rhetoricae ratio ea sit, ut Isocratem et priores technicos secutus omnia sophistarum artificia conquirat, quibus oratio ita exornari debeat,

---

[1]) Anaximenis ars rhetorica ed. L. Spengel Turici 1844.

ut vel minus volenti persuadeat, Aristoteles autem hoc ut summum artis rhetoricae finem praedicet, ut ubique veritatem secuta nihil admittat, quod ingenio vere philosophico indignum sit, facile intellegi potest, ad nostram rem Anaximenem Aristoteli praeferendum esse. Sed ipsius auctoris de antithesibus, ad quas nunc progrediendum est, verba digna sunt, quae afferuntur: *ἀντίθετον μὲν οὖν ἐστι τὸ ἐναντίαν τὴν ὀνομασίαν ἅμα καὶ τὴν δύναμιν τοῖς ἀντικειμένοις ἔχον, ἢ τὸ ἕτερον τούτων. τοῖς μὲν οὖν ὀνόμασιν εἴη ἂν ἐναντίον ἅμα καὶ τῇ δυνάμει τόδε· οὐ γὰρ δίκαιον τοῦτον τὰ ἐμὰ ἔχοντα πλουτεῖν, ἐμὲ δὲ τὰ ὄντα προϊέμενον οὕτω πτωχεύειν· τοῖς δὲ ὀνόμασι μόνοις. διδότω γὰρ ὁ πλούσιος καὶ εὐδαίμων τῷ πένητι καὶ ἐνδεεῖ. τῇ δὲ δυνάμει· ἐγὼ μὲν τοῦτον νοσοῦντα ἐθεράπευσα, οὗτος δ' ἐμοὶ μεγίστων κακῶν αἴτιος γέγονεν. ἐνταῦθα μὲν γὰρ τὰ ὀνόματα οὐκ ἐναντία, αἱ δὲ πράξεις ἐναντίαι. κάλλιστον μὲν οὖν εἴη ἂν τὸ κατ' ἀμφότερα ἀντίθετον, καὶ κατὰ τὴν δύναμιν καὶ κατὰ τὴν ὀνομασίαν. ἔστι δὲ καὶ τὰ λοιπὰ δύο ἀντίθετα.* Quae quidem figurae descriptio adeo simplex est, ut aliorum explicationes huc afferre supervacuum sit. Cic. orator. 3. 54; de orat. 12. Quintil. IX. 3. 81. Ne id quidem discrimen, ab aliis non observatum, quod secundum Anaximenem intercedit, si aut verba aut res, aut utrumque coniunctum sibi opponuntur propter simplicitatem difficultates habere puto, quare in enumerandis exemplis huius discriminis rationem, non habui. Attamen ne certo quodam ordine careamus, Quintilianum secutus priori loco tales antitheses ponam, quae fiunt si singula singulis opponuntur verbis, altero si plura pluribus. Ad priorem speciem haec fere pertinent[1]:

Demon. 1. *οἱ μὲν γὰρ τοὺς φίλους παρόντας, οἱ δὲ καὶ μακρὰν ἀπόντας.* 2. *τῶν σπουδαίων, ἀλλὰ μὴ τῶν φαύλων εἶναι μιμητάς.* 6. *πλοῦτος δὲ κακίας μᾶλλον ἢ καλοκαγαθίας ὑπερέτης ἐστίν.* 7. *ἡ δὲ ἀρετὴ ἀδύνατα δυνατὰ κα-*

---

[1]) In Isocratis locis laudandis praeter inscriptionem minores tantum, quibus distribui solent, particulas notabo.

θιστᾶσα, τὰ φοβερὰ θαρσαλέως ὑπομένουσα, τὸν μὲν ὄκνον ψόγον, τὸν δὲ πόνον ἔπαινον ἡγουμένη. 9. τὸ μὲν σῶμα ἐγύμναζε τῇ δὲ ψυχῇ κτέ. 10. ἡγεῖτο γὰρ πολλῷ κρείττω φύσιν νόμῳ, τρόπον γένους προαίρεσιν ἀνάγκης. 18. οὕτω γὰρ τὰ τοῖς ἄλλοις χαλεπῶς εὑρημένα συμβήσεταί τοι ῥαδίως μανθάνειν. 21. γύμναζε σεαυτὸν πόνοις ἑκουσίοις ὅπως ἂν δύνῃ καὶ τοὺς ἀκουσίους ὑπομένειν. τῶν μὲν οἰκετῶν ἄρχειν ταῖς δὲ ἡδοναῖς δουλεύειν. 24. βραδέως φίλος γίγνου, γιγνόμενος δὲ πειρῶ διαμένειν. 25. περὶ τῶν ῥητῶν ὡς ἀπορρήτων ἀνακοινοῦ. ἐὰν μὴ προσμένῃς ἐκείνων δεήσεις, ἀλλ᾽ αὐτεπάγγελτος βοηθῇς. 26. τῶν ἀπόντων φίλων μέμνησο πρὸς τοὺς παρόντας. 28. μηδὲν ὑπερβαλλόντος ἀλλὰ μετρίως ἀγάπα. 32. ἀθάνατα μὲν φρόνει τῷ μεγαλόψυχος εἶναι θνητὰ δὲ τῷ συμμέτρως ἀπολαύειν. 33. ἡγοῦ σὴν παιδείαν τοσούτῳ μεῖζον ἀγαθὸν εἶναι τῆς ἀπαιδευσίας. 34. ἀφανὲς ἐκ τοῦ φανεροῦ ταχίστην ἔχει διάγνωσιν. 38. τὰ μὲν ζῶντας μόνον ὀφελεῖ ἡ δὲ καὶ τελευτήσασι δόξαν παρασκευάζει. 40. μέγιστον γὰρ ἐν ἐλαχίστῳ νοῦς ἀγαθὸς ἐν ἀνθρώπου σώματι. 47. ἐν πᾶσι τοῖς ἔργοις οὐχ οὕτω τῆς ἀρχῆς μνημονεύομεν ὡς τῆς τελευτῆς αἴσθησιν λαμβάνομεν.

Contra Sophistas. οἱ προσποιοῦνται τὴν ἀλήθειαν ζητεῖν εὐθὺς ἐν ἀρχῇ ψευδῆ λέγειν ἐπιχειροῦσι. 7. τὰς ἐναντιώσεις ἐπὶ μὲν τῶν λόγων τηροῦντας ἐπὶ δὲ τῶν ἔργων μὴ καθορῶντας. 9. τῇ μικρότητι τῶν μισθῶν καὶ μεγέθει τῶν ἐπαγγελμάτων. 13. ὥσθ᾽ οἱ χρώμενοι πολὺ ἂν δικαιότερον ἀποτίνοιεν ἢ λαμβάνοιεν τὸ ἀργύριον.

Helenes encomium. 6. οἱ μήτε τῶν ἰδίων μήτε τῶν κοινῶν φροντίζοντες. 7. οἱ μὲν ἄλλους τινὰς ἐζημίωσαν, οὗτοι δὲ τοὺς συνόντας μάλιστα βλάπτουσι. 11. ὅσῳπερ τὸ σεμνύνεσθαι τοῦ σκώπτειν καὶ τὸ σπουδάζειν τοῦ παίζειν ἐπιπονώτερόν ἐστι. 17. εἰδὼς τὰς ἐπιφανείας καὶ λαμπρότητας οὐκ ἐκ τῆς ἡσυχίας ἀλλ᾽ ἐκ τῶν πολέμων καὶ ἀγώνων. 21. Ἑλένης ἔπαινος ἢ κατηγορία Θησέως. 25. ταῦρον ὃν πάντες οὐκ ἐτόλμων ὑπομένειν μόνος χειρωσάμενος. 27. ὥσθ ἡγήσατο κρεῖττον εἶναι τεθνάναι ἢ ζῆν. 36. ἡγούμενοι κοινωτέραν εἶναι τὴν ἐκείνου μοναρχίαν τῆς αὑτῶν δημοκρατίας.

47. ὥστε θνητὸν ὄντα θεῶν κριτὴν γενέσθαι. 57. ἥδιον δουλεύομεν τοῖς τοιούτοις ἢ ἄλλων ἄρχομεν. 60. πολλὰς ἄν τις ἐπιδείξειε τῶν ἀθανάτων αἳ θνητοῦ κάλλους ἡττήθησαν. ὑμνεῖσθαι μᾶλλον ἢ σιωπᾶσθαι ἐβουλήθησαν.

Panegyricus. 4. οἵτινες λέγοντας μάλιστ᾽ ἐπιδεικνύουσι καὶ ἀκούοντας πλεῖστ᾽ ὠφελοῦσιν. 8. τὰ μέγαλα ταπεινὰ ποιῆσαι καὶ τοῖς μικροῖς μέγεθος ἐπιθεῖναι τὰ παλαῖα καινῶς διελθεῖν καὶ περὶ μὲν νεωστὶ γεγενημένων ἀρχαίως εἰπεῖν. 15. περὶ ἰδίων ταῦτα προειρήσθω περὶ δὲ κοινῶν κτἑ. 19. περὶ τῶν ὁμολογουμένον συμβουλεύειν πρὶν περὶ τῶν ἀμφισβητουμένων κτἑ. 40. βουληθέντες μετὰ λόγον καὶ μὴ μετὰ βίας διαλύσασθαι — τὰς πρὸς ἀναγκαῖα τοῦ βίου χρησίμας καὶ τὰς πρὸς ἡδονὴν μεμηχανημένας. 41. τοῖς χρημάτων δεομένοις καὶ τοῖς ἀπολαῦσαι ἐπιθυμοῦσι ἁρμόττειν. μήτε τοῖς εὐδαιμονοῦσι μήτε τοῖς δυστυχοῦσι ἀχρήστως ἔχειν — χῶρα τὰ μὲν ἐλλείπουσα, τὰ δὲ πλείω φέρουσα. 43. παλαιὰς ξενίας ἀνανεώσασθαι καὶ καινὰς ἑτέρας ποιήσασθαι. 51. ἵνα δὲ μὴ δοκῶ περὶ τὰ μέρη διατρίβειν ὑπὲρ ὅλων τῶν πραγμάτων ὑποθέμενος. 52. οὐ γὰρ μικροὺς οὐδ᾽ ὀλίγους οὐδ᾽ ἀφανεῖς ἀγῶνας ὑπέμειναν ἀλλὰ πολλοὺς καὶ δεινοὺς καὶ μεγάλους.

Ad alteram speciem haec fere pertinent exempla:

Demonicus. 6. τὰ μὲν σώματα τῶν ἀκούντων ἐκόσμησε τῆς δὲ ψυχῆς ἐπιμελείαις ἐπεσκότησε. 19. τὰ μὲν ταχέως ἀπολείπει, τὰ δὲ πάντα τὸν χρόνον παραμένει. 22. τοῖς πονηροῖς ἀπιστεῖν ὥσπερ τοῖς χρηστοῖς πιστεύειν. 30. πρὸς τὸ φαυλότατον χαριζόμενος, πρὸς τὸ βέλτιστον ἀπεχθανόμενος. 38. μᾶλλον ἀποδέχου δίκαιαν πενίαν ἢ πλοῦτον ἄδικον. 6. ῥώμη μετὰ μὲν φρονήσεως ὠφέλησεν ἄνευ δὲ ταύτης ἐλυμήνατο. 16. τέρψις σὺν καλῷ ἄριστον ἄνευ δὲ τούτου κάκιστον.

Helenes encomium. 5. μικρὸν προέχειν ἐν τοῖς μεγάλοις μᾶλλον ἢ πολὺ διαφέρειν ἐν τοῖς μικροῖς καὶ τοῖς μηδὲν πρὸς τὸν βίον ὠφελοῦσιν. 36. οὐ γὰρ τοὺς μὲν πόνους ἄλλοις προσέταττε τῶν δ᾽ ἡδονῶν μόνος ἀπέλαυεν, ἀλλὰ τοὺς μὲν κινδύνους ἰδίους ἐποιεῖτο τὰς ὠφελείας ἅπασιν εἰς τὸ

κοινὸν ἀπεδίδου. 41. τῆς μὲν ἰδίας ἐλπίδος πλὴν ἑνὸς ἀνδρὸς ἅπαντες ἐψεύσθησαν, τῆς δὲ κοινῆς δόξης οὐδεὶς διήμαρτεν. 50. οἱ δ' ᾑροῦντο μένοντες ἐπὶ τῆς ἀλλοτρίας καταγηράσκειν ἢ 'κείνην καταλιπόντες εἰς πατρίδας ἐπανελθεῖν.

Panegyricus. 27. ἀνάγκη δὲ προαιρεῖσθαι τῶν εὐεργεσίων μὴ τὰς διὰ μικρότητα διαλαθούσας καὶ κατασιωπηθείσας ἀλλὰ τὰς διὰ τὸ μέγεθος ὑπὸ πάντων ἀνθρώπων καὶ πάλαι καὶ νῦν καὶ πανταχοῦ καὶ λεγομένας καὶ μνημονευομένας. 90. ὥστε πεζεῦσαι διὰ τῆς θαλάττης πλεῦσαι δὲ διὰ τῆς ἠπείρου τὸν δ' Ἑλλήσποντον ζεύξας, τὸν δ' Ἄθω διορύξας.

Haec sunt quae habeo exempla, quorum numerus non dubito, quin augeri possit, si quis rem cum pulvisculo exhaurire, pariterque omnes Isocratis orationes recensere velit. Sed ea quae attuli, sufficere puto, unde quanta diligentia Isocrates λέξιν ἀντικειμένην excoluerit, facile sit intellectu. Atque hoc potissimum animadvertere licet, quo propiores singulae orationes ad iuventutem scriptoris accedant, eo frequentiorem esse huius figurae usum, quemadmodum in oratione ad Demonicum ita eam cumulatam videmus, ut non multae lineae ea careant. In ea autem ipsa oratione cui per decem annos manum emendatricem adhibuerit, eum valde hoc ornatu delectatum esse atque interdum etiam nimis indulsisse, cuivis notum est.

Parisoseos, de qua hoc loco agere mihi in animo est variae a veteribus prolatae sunt explicationes, verumtamen plerique in eo consentiunt παρίσωσιν fieri ἐὰν ἴσα τὰ κῶλα, unde etiam ἰσόκωλα nominatur. Quintilianus[1] hanc figuram

[1]) Quintil. IX. 3. 97. Similium fere quadruplex ratio est, nam est primum, quotiens verbum verbo simile aut non dissimile valde quaeritur, ut: Puppesque tuae pubesque tuorum et: Sic in hac calamitosa fama, quasi in aliqua perniciosissima flamma etc.: Non enim tam spes laudanda, quam res est. Aut certe par est in extremis syllabis consonans: non verbis sed armis. Et hoc quotiens in sententias acres incidit, pulchrum est: Quantum possis, in eo semper experire ut prosis. Hoc est πάρισον, ut

eam esse censet, quae alibi *παρονομασία* dicitur. Neque tamen verisimile videtur, res tam plane diversas uno eodemque nomine esse comprehensas, praesertim cum figuram a Quintiliano descriptam nusquam ad *παρίσωσιν* referri videam. Ger. Ioh. Vossius in Institt. orat. parison nominat, si verba eiusdem originis sed praepositionibus distincta repetuntur, velut Cic. Verr. II. 1. Hoc onere suscepto et recepta causa, pro Cluent. 19. neque ad honorem aditus neque in curiam reditus. Hanc figuram rariorem quidem apud Romanos ad paronomasiam pertinere, demonstrare conabor, si ad hanc figuram describendam venero. Nobis igitur sequendus Anaximenes, cuius verba haec sunt: *Παρίσωσις δὲ ἐστι μέν, ὅταν δύο ἴσα λέγηται κῶλα. εἴη δ' ἂν ἴσα καὶ πολλὰ μικρὰ ὀλίγοις μεγάλοις καὶ ἴσα τὸ μέγεθος ἴσοις τὸν ἀριθμόν. ἔχει δὲ τοιόνδε τὸ σχῆμα ἡ παρίσωσις. ἢ διὰ χρημάτων ἀπορίαν ἢ διὰ πολέμου μέγεθος. ταῦτα γὰρ οὔτε ὅμοια οὔτε ἐναντία ἀλλ' ἴσα μόνον ἀλλήλοις.* Quocum consentit Dionysius Halicarnasseus, ubi caput ex Panegyrico recenset *παρισώσεως* haec exempla afferens: *„πλείστων μὲν ἀγαθῶν αἰτίους καὶ μεγίστων ἐπαίνων ἀξίους“ ἐνταῦθα γὰρ οὐ μόνον τῷ κώλῳ τὸ κῶλον ἴσον ἀλλὰ καὶ τὰ ὀνόματα τοῖς ὀνόμασι. „οὐδὲ ἀπέλαυον μὲν ὡς ἰδίων ἠμέλουν δὲ ὡς ἀλλοτρίων“ τὸ δὲ γὰρ κῶλον τὸ δεύτερον τῷ κώλῳ (τῷ πρὸ αὐτοῦ) πάρισον. „αὐτός μέλλοι μάλιστα εὐδοκιμήσειν καὶ τοῖς παισὶ μεγάλην δόξην καταλείψειν, οὐδὲ τὰς θρασύτητας τὰς ἀλλήλων ἐζήλουν οὐδὲ τὰς τόλμας καθ' ἑαυτῶν ἤσκουν ἀλλὰ δεινότερον μὲν ἐνόμιζον εἶναι κακῶς ὑπὸ τῶν πολιτῶν ἀκούειν ἢ καλῶς ὑπὲρ τῆς πατρίδος ἀποθνήσκειν.“ τῷ δ' ἀκούειν τὸ δ' ἀποθνήσκειν πάρισον. „ὅτι τοῖς ἀγαθοῖς τῶν ἀνθρώπων οὐδὲν δέησει πολλῶν γραμμάτων ἀλλ' ὀλίγων συνθημάτων.“ οὐκοῦν τὸ γραμμάτων καὶ συνθημάτων πάρισον.* Fit igitur, ut brevi repetam, parisosis, si paria paribus adiunguntur membra, id

plerisque placuit. Cleosteleus *πάρισον* existimat, quod fit e membris non dissimilibus.

quod Anaximenis definitio et Dionysii exempla comprobant. *κῶλα* ex veterum rhetorum et grammaticorum sententia sunt singula membra minora, ex quibus periodus composita constat *μοριόν τι κεριόδου* Arist. Rhet. III. 9. 13. vel si Quintilianum respicimus: Membrum est sensus numeris conclusus sed a toto corpore abruptus et per se nihil efficiens. — Inter parisa et parisosin illo tempore nihil discriminis intercessisse, quod multi voluerunt, vix habeo, quod amplius moneam.

Quando et quibus sub condicionibus scriptor hac figura usus sit, animosque lectorum delectaverit, id definire difficile est. In universum autem hoc notandum est, scriptorem saepenumero in ea ipsa, quam priori loco descripsi, sententiarum oppositione, non solum parisosin, sed etiam paromoeosin sive paronomasiam adhibuisse, ita ut interdum in una eademque periodo omnes fere figuras coniunctas invenias. Facile enim est intellectu, sonitus quodam concentu, qui parisosi, paromoeosi et paronomasiae communis est, oppositionis vim multum augeri velut in his: „*τὰ μὲν σώματα συμμετρίοις πόνοις, ἡ δὲ ψυχὴ σπουδαίοις λόγοις. διεξέρχονται τὰς συμφορά τὰς ἐκ τοῦ πολέμου τοῦ πρὸς ἀλλήλους ἡμῖν γεγενημένους καὶ τὰς ὀφελείας τὰς ἐκ τῆς στρατείας τῆς ἐπ' ἐκεινον ἐσομένας.* In utroque loco oppositionem deprehendere licet, cuius adhibita parisosi magis augetur atque in lucem profertur. Multus praeterea parisoseos usus est, in omnibus locis ubi notionem est quaedam affinitas in appositione, cuius generis id exemplum est, quod modo ex Dionysio attuli „*πλείστων ἀγαθῶν αἰτίους καὶ μεγίστων ἐπαίνων ἀξίους.* Cuius figurae usus cum apud Isocratem tam frequens sit, ut si omnia quae mihi obvenerunt exempla apponere vellem, lectorem facile molestia afficerem, specimina tantum et eo maxime conspicua apponam.

Demonicus. 1. *τῶν φαύλων συνηθείας καὶ τῶν σπουδαίων φιλίας.* 2. *δόξης ὀρεγομένους καὶ παιδείας ἀντιποιουμένους — τεκμήριον μὲν τῆς πρὸς ὑμᾶς εὐνοίας, σημεῖον δὲ τῆς πρὸς Ἱππόνικον συνηθείας,* 6. *κάλλος μὲν ἢ χρόνος ἀνήλωσεν*

ἢ νόσος ἐμάρανε. 7. ἡ δὲ τῆς ἀρετῆς κτῆσις πλούτου κρείττων, χρησιμωτέρα δὲ τῆς εὐγενείας ἐστί. 11. αἰσχρὸν γὰρ τοὺς γραφεῖς ἀπεικάζειν τὰ καλὰ τῶν ζῴων τοὺς δὲ παῖδας μὴ μιμεῖσθαι τοὺς σπουδαίους τῶν γονέων. 13. ἐκεῖνο μὲν γὰρ τῆς τῶν χρημάτων εὐπορίας σημεῖον τοῦτο δὲ τῆς τῶν καλοκαγαθίας τεκμήριον. 16. τοὺς μὲν θεοὺς φοβοῦ, τοὺς δὲ γονεῖς τίμα, τοὺς δὲ φίλους αἰσχύνου, τοῖς δὲ νόμοις πείθου. 13. ἅμα δέ τοῖς θεοῖς θύειν, καὶ τοῖς νόμοις ἐμμένειν δόξεις. 23. ἢ σεαυτὸν αἰτίας αἰσχρᾶς ἀπολύων, ἢ φίλους ἐκ μεγάλων κινδύνων διασώζων. 26. αἰσχρὸν νόμιζε τῶν ἐχθρῶν νικᾶσθαι ταῖς κακοποιΐαις καὶ τῶν φίλων ἡττᾶσθαι ταῖς εὐεργεσίαις. 27. μὴ ἀγάπα τὴν ὑπερβάλλουσαν κτῆσιν ἀλλὰ μετρίαν ἀπόλαυσιν.

Helenes encomium. πολὺ κρεῖττον ἐστι περὶ τῶν χρησίμων ἐπιεικῶς δοξάζειν ἢ περὶ τῶν ἀχρήστων ἀκριβῶς ἐπίστασθαι. 23. οὐ γὰρ μόνον τοῖς ὅπλοις ἐκοσμήσαντο παραπλησίοις, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἐπιτηδεύμασι ἐχρήσαντο τοῖς αὐτοῖς. 37. τῇ μεν ἐξουσίᾳ τυράννων ταῖς δὲ εὐεργεσίας δημαγωγῶν. 38. οὐ γὰρ μάρτυρά γε πιστότερον οὐδὲ κριτὴν ἱκανώτερον ἕξομεν ἐπαγαγέσθαι. 44. ἠπίστατο γὰρ τὰς ἄλλας εὐτυχίας ταχέως μεταπιπτούσας τὴν δ᾽ εὐγένειαν μόνον παραμένουσαν. 49. συστήσαντο πόλεμον οὐ μόνον τῷ μεγέθει τῆς ὀργῆς ἀλλὰ καῖ τῷ μήκει τοῦ χρόνου καὶ τῷ πλήθει τῶν παρασκευῶν.

Panegyricus 1. ἐθαύμασα τῶν τὰς πανηγύρεις συναγαγόντων καὶ τοὺς γυμνικοὺς ἀγῶνας καταστησάντων. 2. τῶν γὰρ ἀθλητῶν δὶς τοσαύτην, ἑνὸς δὲ ἀνδρὸς εὐφρονήσαντος. 3. περὶ τοῦ πολέμου τοῦ πρὸς τοὺς βαρβάρους καὶ τῆς πρὸς ἡμᾶς αὐτούς. 4. οἵτινες λέγοντας μαλιστ᾽ ἐπιδεικνύουσι καὶ τοὺς ἀκούοντας πλεῖστ᾽ ὠφελοῦσιν. 11. ἀκριβῶς ἐπιστάμενον λέγειν ἁπλῶς οὐκ ἂν δυνάμενον εἰπεῖν. 26. τὰ ἐξ ἀρχῆς ὑπάρξαντα καὶ παρὰ τύχης δωρηθέντα. 30. διὰ γὰρ τὸ πολλοὺς εἰρηκέναι καὶ πάντας ἀκηκοέναι. 31. καὶ τὰ πάλαι ῥηθέντα τοῖς παροῦσιν ἔργοις συμμαρτυρεῖ καὶ τὰ νῦν γιγνόμενα τοῖς ὑπ᾽ ἐκείνων εἰρημένοις ὁμολογεῖ. 45. πρὸς δὲ τούτοις καὶ φιλίας εὑρεῖν πιστοτάτας καὶ συνου-

οἵαις ἐντυχεῖν παντοδαπωτάταις μάλιστα παρ᾽ ἡμῖν ἔστιν. 63. οὐ δή που πάτριόν ἐστι ἡγεῖσθαι τοὺς ἐπήλυδας τῶν αὐτοχθόνων οὐδὲ τοὺς εὖ παθόντας τῶν εὖ ποιησάντων οὐδὲ τοὺς ἱκέτας γενομένους τῶν ὑποδεξαμένων. 75. οὐδὲ θρασύτητας τὰς ἀλλήλων ἐζήλουν οὐδὲ τὰς τόλμας τὰς αὑτῶν ἤσκουν. 80. τὰ τῶν ἄλλων διῴκουν θεραπεύοντες ἀλλ᾽ οὐχ ὑβρίζοντες τοὺς Ἕλληνας καὶ στρατηγεῖν οἰόμενοι δεῖν ἀλλὰ μὴ τυραννεῖν αὐτῶν καὶ μᾶλλον ἐπιθυμοῦντες ἡγεμόνες ἢ δεσπόται προσαγορεύεσθαι καὶ σωτῆρες ἀλλὰ μὴ λυμεῶνες ἀποκαλεῖσθαι. alia sexcenta.

Itaque pergo ad paromoeosin in cuius disquisitione, quamvis et Quintiliano aliquid pretii tribuendum sit, tamen ut eius hoc de re sententiam intactam relinquam atque unice Anaximenem sequar, termini libello praescripti me admonent. Cuius quidem verba haec sunt: *Παρομοίωσις δέ ἐστιν ἡ μείζων τῆς παρισώσεως· οὐ γὰρ μόνον ἴσα τὰ κῶλα ποιεῖ, ἀλλὰ καὶ ὅμοια ἐξ ὁμοίων ὀνομάτων. ὅσον δεῖ σε λόγου μίμημα, φέρε πόθου τέχνασμα. μάλιστα δὲ ποεῖ ὅμοια τῶν ὀνομάτων· ταῦτα γὰρ μάλιστα ποιεῖ τὴν ὁμοίωσιν. ὅμοια δέ ἐστιν ὀνόματα τὰ ἐξ ὁμοίων συλλαβῶν, ἐν αἷς πλεῖστα γράμματα τὰ αὐτά ἐστιν, οἷον, πλήθει μὲν ἐνδεῶς δυνάμει δὲ ἐντελῶς.* Paromoeoseos igitur duo genera auctor distinguit, unum si extremae syllabae similes sunt, quod quidem genus postea homoeoteleuton nominatum solumque ad paromoeosin relatum esse invenimus, ita ut apud posteriores inter paromoeosin et homoeoteleuton nihil fere discriminis exstet. Alterum genus est si vocabula coniunguntur una vel paucissimis literis dissimilia, quorum sensus diversus sit, velut in Anaximenis exemplo *ἐνδεῶς* et *ἐντελῶς*; idque postea paronomasia cognominatum est. Anaximenis igitur Aristotelisque temporibus nomine *παρομοιωσέων* etiam *παρονομοσίας* comprehensas cum Fossio[1] libenter convenio, cum paronomasia nihil aliud sit, quam paromoeosis in totis vocibus posita. Iam sequitur ut paromoeoseos, h. e. eius

[1]) Foss de Gorgia Leontino pag. 58.

geueris quod priori loco descriptum est, nonnulla exempla apponamus.

Demonicus 5. *ὧν χρὴ τοὺς νεωτέρους ὀρέγεσθαι καὶ τίνων ἔργων ἀπέχεσθαι.* 12. *οὕτω δὲ τὴν γνώμην οὐ δυνατὸν διατεθῆναι τὸν μὴ πολλῶν καὶ καλῶν ἀκουσμάτων πεπληρωμένον.* 15. *ἡγοῦ μάλιστα σεαυτὸν πρέπειν αἰσχύνην σωφροσύνην — δι᾽ ὧν εὐδοκιμήσεις ἀλλὰ μὴ δι᾽ ὧν εὐπορήσεις.*

c. Sophistas. *πολὺ ἂν θᾶττον πρὸς ἐπιείκειαν ἢ πρὸς ῥητορείαν ὠφελήσειεν — ἃς δεῖ προελέσθαι καὶ μῖξαι πρὸς ἀλλήλας καὶ τάξαι — τοῖς ὀνόμασι εὐρυθμῶς καὶ μουσικῶς εἰπεῖν — ταῦτα πολλῆς ἐπιμελείας δεῖσθαι καὶ ψυχῆς ἀνδρικῆς καὶ δοξαστικῆς.*

Helenes encomium. *οἱ δὲ κοινοὶ καὶ πιστοὶ ὅμοιοι τῶν λόγων διὰ πολλῶν ἰδεῶν καὶ καιρῶν δυὸ κατὰ μαθητῶν εὑρίσκονται καὶ λέγονται — ὃ σεμνότατον καὶ τιμιώτατον καὶ θειότατον ἐστίν. τοσαύτῃ δὲ εὐσεβείᾳ καὶ προνοίᾳ χρώμεθα.*

Panegyricus. *ἀσφαλῶς ἐπιδεικτικῶς ἀκριβῶς ἁπλῶς — τῶν δὲ τὰς χρείας καὶ τὰς ἐργασίας καὶ τὰς ὠφελείας. πολλάς πόλεις ἔκτισαν, ἁπάσας δὲ τὰς νήσους κατῴκισαν, ἀμφοτέρους ἔσωσαν — ποίων δ᾽ ἂν ἔργων ἢ πόνων ἢ κινδύνων ἀπέστησαν — εἰ παραγνοίῃ τὰς συνθήκας τὰς ἐφ᾽ ἡμῶν γενομένας καὶ τὰς νῦν ἀναγεγραμμένας.* Pauca tantum de eo paromoeoseos genere, quod in totis vocibus positum est, sive de *παρονομασίᾳ* addam, quae fit coniunctione vocabulorum una vel paucissimis literis dissimilium, quorum significatio aut contraria aut diversa sit. Interdum haec dissimilitudo efficitur una vel paucis literis addendis vel detrahendis; Paneg. *Κόρης δούσης τὴν τελετήν, ἧς οἱ μετασχόντας περὶ τῆς τοῦ βίου τελευτῆς ἡδίους τὰς ἐλπίδας ἔχουσιν.* Multo vero frequentiores apud Isocratem eae dictiones, in quibus dissimilitudo immutandis vel transponendis quibusdam literis efficitur. Paneg. *ἔτι ἀγῶνας ἰδεῖν, μὴ μόνον τάχους καὶ ῥώμης, ἀλλὰ λόγων γνώμης — οἳ τοὺς ἀνομωτάτους πιστοτάτους ἐνόμιζον τοὺς δὲ προδότας ὥσπερ εὐερ-*

γέτας ἐθεράπευον, μᾶλλον ἐτίμων τοὺς αὐτόχειρας καὶ φονέας ἢ τοὺς γονέας τῶν αὐτῶν, εὕροι δ' ἄν τις ἐκ μὲν τοῦ πολέμου τοῦ πρὸς βαρβάρους ὕμνους πεποιημένους ἐκ δὲ τοῦ πρὸς Ἕλληνας θρήνους ἡμῖν γεγενημένους — αἰσχρὸν γὰρ πάροντι μὴ χρῆσθαι, παρελθόντος δὲ μεμνῆσθαι, ταυτὴν γὰρ οἰκοῦμεν, οὐχ ἑτέρους ἐκβαλόντας οὐδ' ἐρήμην καταλαβόντες. Φήμην καὶ μνήμην καὶ δόξαν πόσην τινὰ χρὴ νομιζειν. Demonicus. *πειρῶ τὸν πλοῦτον χρήματα καὶ κτήματα.* Panegyricus. *πλεῦσαι διὰ τῆς ἠπείρου πεζεῦσαι διὰ τῆς θαλάττης, Ἑλλήσποντον ζεύξας, Ἄθω διορύξας.*

Ad paronomasiam porro sine dubio pertinet, si vocabula composita sibi opponuntur, quae alteram partem sive priorem sive posteriorem eandem, alteram similem habent. Quae quidem paronomasiae species eadem fere est, quam Cicero repetitione verborum eiusdem originis sed praepositionibus distinctorum, efficit, quamque a Vossio ad parisosin referri supra monui. Demonicus. *ἐάν ᾖς φιλομαθής ἔσει πολυμαθής. τῷ μὲν τρόπῳ γίγνου ψιλοροσήγορος τῷ δὲ λόγῳ εὐπροσήγορος. πειρῶ τῷ μὲν σώματι εἶναι φιλόπονος τῇ δὲ ψυχῇ φιλόσοφος. οὕτω γὰρ οὐδ' εὐτυχῶν ἔσει περιχαρὴς οὐδὲ δυστυχῶν περιλυπός.* Helenes encomium. *τοὺς δὲ τῷ κάλλει λατρεύοντας φιλοκάλους καὶ φιλοπόνους νομίζομεν. ὅπως ἡ πόλις ἡμῶν οὐ μόνον θεοφιλῶς ἀλλὰ καὶ φιλανθρώπως ἔσχεν.*

Paronomasiae sine dubio confinis est *ἀντανάκλασις* quae dicitur, sive dilogia, quae fit si vocabulo eiusdem sonitus sed sensus diversi in eodem orationis orbe inveniuntur. Cuius figurae unum tantum apud Isocratem exemplum mihi obvenit. Panegyricus *ἅμα γὰρ ἡμεῖς τῆς ἀρχῆς ἀποστηρούμεθα. καὶ τοῖς Ἕλλησιν ἀρχὴ τῶν κακῶν ἐγίνετο.* Huiusmodi lusum verborum non multum leporis et gravitatis praebere, suo quisque sensu facile intelleget.

Magnas quoque partes apud Isocratem hiatum agere videmus, quem cautissime vitatum esse, Bekkeri Benselerique animadversiones demonstrarunt, ita ut casu eum ortum esse, ubi invenitur, ne a scriptore profectum esse statu-

eris. Omnino deinde dedignatus est talem compositionem, qua prioris verbi exitus simili posteriore excipitur, quod loco ex eius rhetorica a Spengelio[1] allato comprobatur: *μὴ τελευτᾶν καὶ ἄρχεσθαι ἀπὸ τῆς αὐτῆς συλλαβῆς οἷον ΕΙΠΟΥΣΑ ΣΑΘΗ ῾ΗΛΙΚΑ ΚΑΛΑ, ᾿ΕΝΘΑ ΘΑΛΗΣ*, quo loco nixus Spengelius omnes locos velut *τοῦτον τόν, ταύτης τῆς*, sive transpositione sive alio subsidio emendare iubet. Quod quidem Benselerus in editione Areopagiticae orationis pag. 183 ut nimis audax improbat, verumtamen hac in re Spengelium audire malim, cum cogitari nequeat, Isocratis teretes aures syllabarum repetitione, quae nihil acuminis et leporis habet, contra insuavem asperumque sonum reddit, offensas non esse. Longe aliter se res habet apud Romanos, quos interdum consulto eam adhibuisse haec exempla demonstrabunt. Cic. pro Mil. 30. vi victa vis. p. Planc. caluit re recenti. Virg. Aen. 9 v. 22. „exercet mentes fraternas grata malis lis.“ Patet enim, in his omnibus dictionibus vocis monosyllabae repetitione gravitatem quandam effici, quam frustra in *τοῦτον τὸν ταύτης τῆς* requiras.

Postquam omnia, quae de Isocrate rhetore dicenda mihi in promptu sunt, attuli, haec fere eius exsistit imago, quae proxime mihi ad veritatem accedere videtur. Isocrates celeberrimorum sui temporis virorum institutione usus, primum orationibus forensibus inclaruit; Gorgiae deinde potissimum auctoritate ad aliam vitae rationem transductus, et scholam condidit, qua artis praecepta, postea etiam literis consignata aliis tradebat, et orationes generis *συμβουλευτικοῦ* et *ἐπιδεικτικοῦ* composuit. Quae autem in iis sive de philosophia, et colendis literis sive de regenda atque in meliorem statum promovenda republica praecepta dedit, plerumque et morum et status reipublicae magnam inscitiam prae se ferunt, ita ut magno errore obstricti ii sunt, qui eum doctrina atque scientia subactum ingenium studiis rhetoricis attulisse

---

[1]) Spengel l. l. pag. XI.

eumque scriptorem utilissimis vitae civilis praeceptis abundantem esse iudicent. Multa autem ex parte Niebuhrii acerbissimae vituperationes iniustae immeritaeque sunt, cum ad elocutionem quod attinet, summis laudibus dignus sit. Primum et ab austero Antiphontis et Thucydidis genere dicendi et a minutis artificiosisque Gorgiae et Thrasymachi periodis κύκλῳ quem vocant inducendo se abdicavit, primusque viam monstravit, qua ad limatam et consummatam eloquentiam provenire posteris oratoribus licuit. Deinde ea orationis ornamenta, quae Gorgias sine dubio ad solam aurium delectationem immodice adhibuerat, ita temperavit, ut in iis tantem locis, ubi sententiae gravitatem externo quodam subsidio augere atque in lucem proferre studet, invenire liceat. Quibus de causis Isocrates in numero eorum habendus est, qui in conformanda lingua atque in excolenda arte oratoria non exiguas partes egerunt, ipseque Demosthenes atque inprimis Cicero eius praeceptis et orationibus multum debere putandi sunt.

VITA AUCTORIS.

Natus sum *Petrus Henn* anno h. s. XXXVII. Coloniae, patre *Theodoro,* matre *Catharina Baumannia,* quorum utrumque adhuc in vivis esse valde laetor. Fidei addictus sum catholicae. A teneris usque ad annum duodecimum a ludimagistris educatus primisque literarum elementis imbutus, gymnasium adii Coloniense catholicum. Ibi per sex annos iis artibus, quibus aetas puerilis ad humanitatem informari solet, a magistris optimis dilectissimisque institutus sum, quorum doctrinae et benevolentiae nunquam immemor ero. Anni h. s. LV auctumno maturitatis testimonium nactus, Bonnam migravi, ut in universitate alma *Fridericia Guilelmia Rhenana* philologiae potissimum studiis me darem. In civium academicorum numerum receptus sum ab. Ill. *Plücker* Rectore t. t. Magnifico. Per septies senos menses praeceptoribus usus sum clarissimis hisce: *Brandisio, Dieringero, Jahnio, Knoodtio, Loebellio, Monnardo, Ritschelio, Rittero, Simrockio, Welckero.* Morbo deinde per annum dimidiumque domi retentus, auctumno anni praeteriti Halam me contuli, ubi Ill. *Bergkii Bernhardyique* scholas frequentavi. Quibus omnibus viris illustrissimis doctissimisque, qui optime de me meriti sunt, gratias ago, quas debeo, maximas.

THEMATA.

I. *Iusto longius progrediuntur qui orationes Thucydideas in scholis legi iubent.*

II. Ἐπιμύλιος ᾠδὴ *quam Plutarchus servavit,*

ἄλει μύλα ἄλει
καὶ γὰρ Πιττακὸς ἄλει
μεγάλας Μυτιλάνας βασιλεύων

non ad accentum est recitanda.

III. *Historia soror poeseos.*

IV. *In iudicando Cicerone Niebuhrium quam Drumannum sequi malo.*

V. *In Aeschyli Agamemnonis versu 141 pro* ἀέλπτοις *emendatio probabilis est* ἀόπτοις.